



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Sebastiani Izquierdo Alcarazensis Societ. Iesv Regii
Senatvs S. Inqvisitionis Hispaniarvm Qvalificatoris, Et
Olim Complvti Sacrae Theologiae Professoris. Opvs
Theologicvm, iuxta atque ...**

Vbi De Essentia Et Attribvtis Divinis Vbertim Dissertivr ...

Izquierdo, Sebastián

Romae, 1664

Tractatvs III. De Immensitate Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76990](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76990)

TRACTATUS III. DE IMMENSITATE DEI.



X necessitate Dei in essendo omnimodàque independentià eius ab omni alio immediatè, & euidenter infertur eius æternitas, siue duratio in omni tempore, & fortassè etiam eius immensitas, siue vbicatio in omni loco. Quare tum eà de causà; tum ob vniuersalitatem, affinitatemque doctrinæ de duratione, & vbicatione, ad plenè intelligendam æternitatem, immensitatemque Dei prærequisitæ, & præmittendæ, aptissimè omnium sequi videbatur agendum, primùm de æternitate, deinde de immensitate Dei. Caterùm, quia, quæ ad vbicationem, & locum pertinent, notiora nobis sunt, quàm, quæ pertinent ad durationem, & tempus. aptius duximus, de immensitate priùs, & postmodùm de æternitate Dei tractare. Continebit autem tractatus iste duas disputationes. Alteram de loco, & vbicatione, seu præsentia locali in vniuersùm. Alteram de ipsà immensitate Dei.

DISPUTATIO V.

De loco, & vbicatione, seu præsentia locali,

Quatuor sunt potissimi termini huius disputationis, *spatium locale*, quod imaginarium appellant; *locus* seu *vbi*; *præsentia localis*, seu *vbicatio*; & *motus localis*. *Spatium locale*, siue imaginarium dicitur capacitas illa, quam nos concipimus circumquaque in infinitum extensam ad instar cuiusdam magnitudinis vndequaque infinitæ, partim quidem hoc Mundo corporeo occupatam, repletamque, sed maiore ex parte vltra illum corpore vacuam, aptam tamen repleri. *Locus* verò appellatur id, vbi vnumquodque collocatum, siue locatum esse dicitur. *Præsentia localis*, siue *vbicatio* id, à quo habet vnumquodque formaliter esse in hoc loco, vel in alio. Et *motus localis* id, medio quo præsentia localis, & locus acquiri solent, & amitti.

QVÆSTIO I.

Quid sit, in quo ve consistat præsentia localis, seu vbicatio.

Non est hic sermo de præsentia locali Dei, de qua disp. 6. sed tantùm creaturarum, cunctorumque in vniuersùm distinctorum à Deo. Sunt, qui dixerunt, esse rem quamlibet alicubi, seu in aliquo loco, non dicere quidpiam intrin-

secum, inhærens ve ipsi rei, sed tantùm denominationem quamdam extrinsecam, aut semi extrinsecam pronientem rei aut à loco; aut ab spatio; aut ab vtroque; aut à decreto Dei coniunctiuo rei cum loco, seu spatio; aut ab actione productiua, siue conseruatiua rei in loco, seu spatio; aut à motu locali, medio quo res ibi collocatur; aut à negatione aliqua. E quorum opinantium numero sunt Valent. 1. p. disp. 4. quæst. 3. punt. 2. Ægid. Coninch. tom. de sacram. quæst. 74. art. 4. dub. 1. & alij Recentiores. Communis tamen iam fere omnium aliorum, & mihi verissima sententia est, vbicationem, seu præsentiam localem accidens peculiare intrinsecum, inhærensque esse rei vbicatæ, siue præsentis, siue existenti in loco. Ita Soar. disp. 51. Metaph. sect. 1. Petr. Hurt. disp. 13. Physicæ sect. 2. Arriag. disp. 4. Phys. sect. 2. Ouied. controu. 15. Phys. punt. 14. Franc. Alfon. in Phys. disp. 22. sect. 3. Carleton disput. 34. Phys. sect. 2. Spinula disput. 10. Phys. sect. 2. Gard. Lug. tom. de Sacram. disput. 5. de Eucharist. sect. 4. Dicastill. tom. de Sacram. disput. 5. de Eucharist. dub. 17. & Recentiores alij communiter; apud quos alij plures. Quorum plerique, quidquid refragetur Dicastillo, satis benè explicant effectum formalem præsentia per hoc, quòd est, determinare rem præsentem, vt sit aut alijs contigua, aut distans tantum, vel tantum ab alijs præsentibus alibi; de quo nos infra. Præsentiam autem esse modum omnes præfati Auctores supponunt, aut exprimunt, præter Arriagam, qui sect. 2. cit. sub sect. 7. multis contendit, esse rem. Cui sensus sentit Carleton vbi supra.

Propositio 1.

Esse rem aliquam alicubi, siue in aliquo loco, accidens ipsi rei intrinsecum, & positium præfert: non solum denominationem extrinsecam, vel semiextrinsecam aliunde desumptam; aut negationem aliquam.

3 Probatur primò. Quia, si, me esse hic, esset denominatio desumpta ab hoc loco, aut ab hoc spatio, aut etiam à meâ entitate, non possent existere tria ista, quin ego essem hic: siquidem repugnat existere omnia fundamenta, ex quibus denominatio desumitur, quin existat denominatio, vt est notum. At possunt existere, & sæpe extiterunt dicta tria, quin ego essem hic, quando eram alibi. Ergo, me esse hic, aliquid amplius inuoluit distinctum ab ijs tribus. Pergo. Sed hoc non potest esse quidpiam extrinsecum mihi, aut merè negatiuum. Ergo est accidens positium intrinsecum mihi, & inhærens. Sola hæc minor indiget probatione: nam cætera sunt clara & firma. Probatur autem. Quia, me esse hic, non potest esse denominatio desumpta extrinsecè ab aliquo decreto Dei se ipso me coniungente cum hoc loco. Nam, licet aliqua denominatione moralis, vt condonati, vel remissi in peccato, possit fortasse constitui per aliquod decretum Dei: at denominationes physica, qualis est in me denominatio præsentis huic loco, ineptè sanè dicentur constitui per diuina decreta. Aliàs per illa dicenda essent constitui omnes denominationes agentis, patientis, vniti, inhærentis, subsistentis, & cæteræ huiusmodi, sublati è medio omnibus modis superadditis; quorum multi negari nequeunt absque magnis absurdis. Nec, me esse hic, potest esse denominatio desumpta ab aliqua actione productiua, siue conseruatiua mei. Tum quia, vt mea existentiâ indifferens est ad plura loca, ita etiam & mea conseruatio censenda est indifferens; quo nequit esse præsentia mei in hoc loco. Tum quia, quot muto passim loca, tot mutaret Deus conseruationes mei. Fieretque vt nunquam ego me mouerem localiter; sed solum Deus me moueret, vt ipse solus me conseruat. Tum denique quia æquali iure dici posset, vnionem animæ, & corporis ipsam actionem esse productiuam, siue conseruatiuam animæ, nihilque subinde intrinsecum homini produceret homo generans hominem; omnesque alij modi in vnâ actione productiua rei essent ponendi. Quæ omnia contra mentem omnium sunt, & absurda. Nec, me esse hic, potest esse denominatio desumpta à motu locali præcisè. Tum quia citra omnem motum localem potuit Deus me ponere hic; vbi eodem omnino modo essem præsens, ac nunc. Tum quia per motum localem aliquid ab eo distinctum necessariò debet acquiri, & hoc ipsa est præsentia superaddita, quam adstruere intendimus, vt mox patebit. Nec, me esse hic, potest esse denominatio desumpta à negatione distantie mei ab hoc loco. Quia de distantia negata rediret eadem quæstio: debet enim esse ea quid positium; cum supponatur exclusa per negationem. Vtque per eandem distantiam, si eam haberem, qua distarem hinc, essem alibi; sic pariter per eandem distantiam, qua nunc disto ab alijs locis, sum hic iuxta dicenda proposit. 2. Nec, me esse hic, potest esse denomi-

natio desumpta à negatione corporis interpositi inter me, & hunc locum. Nam de eâ interpositione alterius corporis redit similiter eadem quæstio: debet enim esse similiter quid positium, cum sit per negationem exclusa; & nequit esse aliquid aliud à præsentia superaddita dicto corpori, quam molimur adstruere, vt constat ex dictis. Denique, me esse hic, nequit consistere in exclusione negationis mei ab hoc loco. Quia id esset consistere in solâ meâ entitate, (per quam formaliter excluditur negatio mei vndecunque excludatur); aut summum in merâ coexistentia mei, & huius loci contra iam dicta. De quo plura Carleton vbi supra sect. 2. contra quosdam Recentiores. Concluditur ergo, me esse hic, siue denominationem, qua dicor præsens, seu vbcatus in hoc loco, aliquid peculiare accidens superadditum, inhærensque mihi intrinsecè inuoluere in suo conceptu reali. Quod erat probandum. Quod quidem accidens vbcationem nuncupamus, seu præsentiam localem.

4 Porro, me esse in hoc loco, non posse consistere in solâ coexistentia mei, & huius loci siue spatij localis, sed aliquid amplius necessariò includere in suo conceptu reali; ijs omnibus argumentis, seu modis arguendi venit potiori iure monstrandum, monstrarique ab vnoquoque potest, quibus infra disput. 7. quæst. 1. planè monstrabimus, me hodie durare, nullatenus posse consistere in solâ coexistentia mei, & temporis, siue spatij temporalis hodierni; sed aliquid aliud necessariò includere in suo conceptu reali. Recognoscantur, & applicentur. Itaque me esse in hoc loco, in solâ dictâ coexistentia mei, & huius loci, siue spatij non posse consistere, euidenter demonstratur ex eo, quòd deesse potest, sæpeque deest, me esse in hoc loco, quin desit dictâ coexistentia. Tum ex eo, quòd nunc coexistit omnibus alijs locis, siue spatijs; quin sim in illis. Aliquid igitur aliud, præter dictam coexistentiam, includit, me esse in hoc, aut in alio loco. Id autem vnice esse præsentiam inhærentem, & positiuam, quam propositio nostra præterdit, per dicta in argumento factò videtur satis comprobatum.

5 Secundò probatur propositio. Motus localis, quo huc latus sum, actio quædam est, siue productio alicuius termini; siquidem per illum aliquid ponitur existens in rerum naturâ, quod antea non erat, nempe, me esse hic; terminus autem productus per talem motum aliquid est distinctum realiter à motu ipso; siquidem perseverat, & durat, motu transacto. At ille non est hoc spatium imaginariuum, cui correspondeo; quia tale spatium non est aliquid actu existens, nedum per motum producibile, vt postea dicemus; neque est corpus, locusve extrinsecus, à quo hic circundor; quia talis locus iam ante talem motum præ existebat, neque per ipsum est producibilis, vt constat. Ergo est aliquid accidens positium impressum mihi, quod præsentiam vocamus. Et confirmatur. Quia idem est semper subiectum termini producti, quod est subiectum productionis. Sed ego, non aliud quidpiam, sum subiectum motus, quo moueor, vt constat. Ergo & termini producti per talem motum, qui proinde accidens mihi inhærens est.

6 Tertiò probatur propositio. Quia entitas mea (& idem est de alijs huiusmodi) indifferens est ad existendum in hoc spatio, vel in alio. Ergo.

go, ut in hoc potius spatio, quam in alio, existat, aliquo determinatio indiget ad tale spatium determinato, seu ei affixo natura sua. Quod aliud esse non potest, nisi presentia superaddita, ut constat ex dictis.

7 Quarto probatur propositio. Quia nisi essent possibles presentie locales suapte essentia affixae spatio locali, atque adeo immobiles, & inter se aut contiguae, aut tantum localiter distantes, nec plus, nec minus, per suam essentiam, non esset possibilis locus, qui omnium sententia essentialiter habet esse immobilem, tantumque, nec plus, nec minus distantem ab alijs locis, aut eis contiguum. Quod aliunde, quam a presentia locali, quae essentiam, & proprietates commemoratas habeat, habere non potest; quandoquidem caetera entia mobilia sunt, nec fixam, sed variabilem distantiam localem, aut propinquitatem habent cum alijs. Quod si presentiae locales praedictarum proprietatum possibiles sunt, de factio etiam dantur in rebus; quia de factio dantur loca rerum tales proprietates habentia; a quibus & res ipsae illas prout existentes in talibus locis mutuantur, ut constat.

8 Quinto probatur propositio vel experientia ipsa. Oculis enim videmus, non solum colorem, sed colorem prout existentem in tali, aut tali loco, ad dextram, aut sinistram, cum tanta, aut tanta distantia ab alijs coloribus, & a nobis; videmus etiam figuram, & situm obiecti visibilis, quae nihil aliud sunt, quam tales partium eius presentiae. Vniuersim enim cuncta sensibilia communia, quae etiam sub alios sensus externos cadunt, ad vnam presentiam localem sensibilia priorum reuocantur, prout statutum est a nobis in Pharo Scient. disput. 1. quest. 2. Cum ergo, percipere huiusmodi sensibilia communia, non sit percipere aut aliquod decretum Dei, aut actionem, aut spatium imaginatum, aut negationem aliquam, aut alia corpora, quae propria sensibilia circumstant; erit vique percipere aliud quoddam accidens eis superadditum, quo taliter, aut taliter sunt posita, aut disposita in loco; quod presentiam vocamus. Hoc argumentum inefficax censet Card. de Lug. sup. multis contendens a num. 86. nullatenus percipi oculis presentiam localem coloris. Quod tamen contra communem sententiam Philosophorum esse videtur unanimiter asserentium, per sensus externos percipi, praeter sensibilia propria, sensibilia communia, quae ad vnam presentiam localem illorum reuocantur, ut dixi. Hoc tamen non est huius loci. Videantur dicta a nobis in Pharo Scient. loco citato.

9 Sexto probatur propositio. Quoniam entia creata per durationem super additam, & sibi intrinsicam, siue inhaerentem existunt in tempore, ut infra disput. 7. quest. 1. ostendimus. Ergo & per presentiam pariter superadditam, existunt in loco; imo hoc multo certius, quam illud, est.

10 Verum contra propositionem statutam, obieitur primo. Si presentia esset quid superadditum, prout dictum est, dum corpus mouetur, infinitas presentias acquireret, totidemque amitteret in breui morula. Hoc est absurdum, Ergo. Respondeo, idem sequi in motu ipso superaddito; quem tamen nemo negat. Vtrum autem in vtroque sit id absurdum, pender ex di-

condis infra disput. 10. quest. 4. de compositione continui. Vide ibi dicenda.

Secundo obieitur. Demus, corrumpi a Deo vocationem, qua dicor esse in hoc spatio, adhuc manerem in ipso spatio. Ergo, ut in eo sim praesens, non est necessaria talis vocationem. Nego antecedens: quia, me esse in hoc spatio, nihil est aliud, quam talem me vocationem habere.

Tertio obieitur. Ut sim in hoc cubiculo, non est necessarium aliquod accidens mihi intrinsicum, quo reddar ei praesens, sed fat est coexistentia extrinseca ipsius cubiculi: siquidem, corrupto cubiculo a Deo, absque defitione alicuius accidentis mihi intrinseca definerem esse in cubiculo. Ergo neque, ut sim in quouis alio loco, aut spatio, vilo accidente intrinsicco indigeo. Respondeo, ut sim in hoc cubiculo, necessarium esse tum accidens intrinsicum mihi, quo praesens fiam intra cubiculum, tum accidens intrinsicum cubiculo, quo praesens fiat circum me. Quo fit, ut, me esse in cubiculo, duo dicat; alterum intrinsicum mihi, extrinsicum, alterum; nempe & presentiam meam in tali spatio, & presentiam cubiculi in tali; & ideo, deficiente cubiculo cum sua presentia, defino esse se intra cubiculum; quin deficiat mea. Hinc tamen non fit, presentiam mihi superadditam necessarium non esse; necessaria enim est, non solum, ut sim in hoc spatio, sed etiam ut sim in cubiculo; quandoquidem, ea sola deficiente, & exteris omnibus permanentibus, ego neque in hoc spatio, neque in cubiculo essem, sed alibi, aut nullibi, si est hoc possibile. De quo postea.

Quarto obieitur. Nulla assignari potest causa presentiae localis superadditae. Ergo non datur. Probatur antecedens: quia, quando mobile acquirit locum, in quo tandem se sistit, & praesens permanet, per motum praeteritum, cum iam non sit, determinari non potest ad producendam ibi presentiam; aliud autem, a quo determinetur, non est; cum illud prorsus sit indifferens, ut praesens in eo loco, aut in quibusvis alijs sit. Respondeo, mobile in ultimo instanti motus determinatum esse naturaliter in actu primo ad producendam in se presentiam immediatam praeterita, quatenus, supposita praeterita per vim loco motuam producta, naturaliter est illi debita presentia in spatio immediato, & consequenter concursus Dei ad eam ibi, & non alibi, producendam; quam proinde, & non aliam, in eo instanti naturaliter producere potest. Nec est inconueniens, ut ad huiusmodi determinationem per modum debiti, siue iuris connaturalis concurrat id, quod iam non est, ut multis alijs exemplis causarum naturalium monstrari possit. Mito alia leuora, quae facile ex dictis dilui possunt, & apud praecipuos Auctores fufius scripta vide-

11.

Propositio 2.

14 **E**ffectus formalis proprius præsentia localis superadditæ est reddere rem, quam afficit, aut contiguam alijs, aut tantum, vel tantum ab eis distantem localiter, suppositis etiam harum præsentijs; aut etiam cum eis penetratam, si quando præsentia omnium eidem correspondent spatio locali.

Verbi gratia, præsentia, quam corpus meum modò habet Romæ, distans illud facit à Compluto, Tolero, Matrilo, ab alijsque locis à me remotis diuersis, atque inæqualibus distantijs; contiguam cum aere me circumdante, & immediatè tangente; & penetratam cum meâ animâ, cum Deo, & cum aliquibus accidentibus eidem spatio corporis mei correspondentibus. Etenim præsentia rerum in duplici differentiâ sunt; alia quæ suapte naturâ & essentiâ seriem quamdam localis extensionis circumquaque dilatatam conficiunt, in qua proinde alia sunt alijs immediatæ, alia mediata, seu remotæ; & hæc vel magis, vel minus iuxta maiorem, vel minorem multitudinem, siue extensionem præsentiarum, quæ interponuntur, aut possunt interponi: quod autem illa essentialiter habent, atque immobiliter, id rebus, quas afficiunt, præstant accidentaliter. Vel cogita vnâ continuatam præsentiam possibilem totum vniuersum replentem, compositamque ex partibus triâ extensionis, longitudinis scilicet, latitudinis, & profunditatis, quarum alia alijs sunt immediatæ, alijs remotæ magis, aut minus &c. Quemadmodum enim partes huiusmodi præsentia, ita diuersorum corporum, quæ replent hunc Mundum, præsentia comparandæ sunt inter se; nisi quod hæc non vnitæ, illius verò præsentia partes vnitæ inter se essent, vt ponimus; quod non interest ad rem. Alia verò præsentia sunt, quæ suapte naturâ, & essentiâ veluti intensionem quamdam componunt; quia omnes eidem spatio imaginario correspondent, nec vllam extensionem conficiunt; eo quòd nulla earum extra alias, sed vnaquæque intra omnes est; quæ propterea penetratæ inter se dicuntur, penetratæque subinde reddunt in eodem spatio, & loco res, quas afficiunt. Quemadmodum enim omnes gradus intensionis caloris existentes in eodem subiecto ita inter se sunt penetratæ, vt nullus extra alios, sed omnes intra omnes sint; ita omnes istæ præsentia, aut etiam earum veluti gradus, ita inter se sunt essentialiter penetratæ, vt nullæ extra alias, sed omnes intra omnes sint; & ideo omnes eidem spatio imaginario correspondere dicuntur, siue in illo esse.

15 **D**ixi, vt præsentia rem, quam afficit, reddat distantem ab alijs, aut eis contiguam, aut cum eis penetratam, debere etiam supponi harum præsentias: quia denominatio distantis, immediatæ, seu contiguae, vel penetratæ, quam vnâ præsentia habet comparata cum aliâ, quamque subinde rei, quam afficit, tribuit relatè ad illam, semiextrinseca est, proueniens scilicet à coexistentiâ præsentiarum, quæ inter se comparantur: quæ proinde denominatio in quavis earum deficit, alterâ deficiente. Quemadmodum enim quantitas A, & quantitas B per suas entitates præcisè inuicem, & semiextrinsecè denominantur inter se æquales, aut inæquales; quòd si

inæquales, tantum, aut tantum iuxta magnitudinem eius, in quo altera excedit alteram; atque ita, alterâ deficiente, in alterâ pariter deficit huiusmodi quavis denominatio; ita præsentia A, & præsentia B per suas entitates præcisè inuicem, & semiextrinsecè denominantur aut penetratæ, aut immediatæ, seu contiguae, aut distantes; quòd si distantes, tantum, aut tantum iuxta magnitudinem alterius præsentia, quæ potest interponi inter illas: quas etiam denominationes rebus, quas afficiunt, attribuunt. Atque adeò cum altera earum deest, in alterâ, & in re, quam afficit, desunt hæc denominationes. Hæc tamen dicta sunt de distantia, & contiguitate, & penetratione de vte earum denominationibus ex parte amboꝝ extremorum realibus, siue realiter existentibus.

16 **C**æterum, quia nos non solum vnâ præsentiam, vnâque rem præsentem cum aliâ comparamus, sed etiam vnum spatium imaginarium cum alio, siue vnâ partem spatij imaginarij totalis cum aliâ parte, & insuper res, & earum præsentias cum spatij istis partialibus, & vice versa; hoc ipso, quòd talia spatia apprehendimus, ac si essent quædam magnitudines fixæ, penitus incorruptibiles, & immobiles, ab omnibus rebus penetrabiles, atque adeò veluti quædam receptacula actu existentia ipsarum rerum, iuxta dicenda quæst. 2. Idcirco dicimus, hoc spatium tantum distare ab illo; hoc spatium alteri esse contiguum; hanc rem tantum distare à tali spatio; hoc spatium tantum distare à tali re; hoc spatium tali præsentia esse immediatum, & e conuerso; hanc rem in tali spatio esse, siue intra tale spatium, siue cum illo penetratam, &c. Vnde, distantia localis, contiguitas, & penetratio triplex distingui potest; alia purè realis, quando ambo extrema, ex quibus constat, realiter sunt existentia; alia purè imaginaria, quando ambo extrema sunt spatia imaginaria; alia mixta, quando alterum extremum existens realiter, & alterum imaginarium est. Cum hac tamen exceptione, quòd duo spatia imaginaria non possunt concipi penetrata ob eorum immobilitatem, simplicitatemque intensionem, & ideo penetratio merè imaginaria non datur. Quo autem iure spatia ista imaginaria dicantur, & quo sensu possint dici realia, quæst. 2. explicabitur.

17 **D**ices, Si Deus corrumpere præsentiam, quam dicitur hæc res habere in hoc spatio, non transferendo illam aliò, eodem modo permaneret, ac nunc, distans, aut indistans ab alijs rebus. Ergo huiusmodi distantias, aut indistantias ab alijs non habet hæc res à tali præsentia. Nego Antecedens. Quia in casu posito non maneret res in hoc spatio; atque adeò neque distantias, neque indistantias, quas nunc cum alijs rebus habet, haberet. Vtrum autem sit possibile, vt maneat res absque vllâ præsentia, atque adeò, vt Deus auferat ab illâ, quam habet, quin ei tribuat aliam, quæst. 8. examinabitur.

18 **E**x dictis colligitur primò; præsentiam localem realiter neque esse intrinsecè connexam, neque intrinsecè respicientem spatium imaginarium quâ tale, cui correspondere concipitur: quia tale spatium nihil est actu existens, vt apprehenditur, vt quæst. 2. dicemus. Dicit tamen nihilominus solet tali spatio affixa essentialiter: tum, vt eius essentia explicetur, quæ nobis melius innotescit in ordine ad tale spatium, quatenus illud vt quid actu extensum, fixum penitus, & immo.

immobile imaginatur: tum maximè, quia cum fundamento reali talis spatij intrinsecè & essentialiter est connexa re ipsa, quatenus cum possibilitate, seu quidditate alicuius presentia eiusdem rationis (in qua consistit illud, vt postea dicemus) connexa est eo ipso, quod est connexa cum possibilitate, & quidditate sui. Porro vera quidditas, siue essentia cuiusque presentia in eo stat, quod talem, & non alium gradum constituat in serie extensionis presentiarum, in eoque dumtaxat rem collocet, cuius presentia est, & non alibi.

19 Secundo colligitur: presentiam localem neque respicere intrinsecè locum extrinsecum in vltima superficie ambientis corporis consistentem iuxta postea dicenda, neque ab illo pendere: siquidem, tali superficie variata, aut quouis modo sublata, semper manet presentia eadem; dum modo res presentis in eodem persistat spatio, vt patet in tutri singulis momentis circumdata diuersis superficiebus aeris ambientis, quin suam presentiam mutet, & in vltima sphaera coelesti, quæ presentis nihilominus permanet in suo spatio locali, quin vlla superficie alicuius corporis extrinsecè circumferibatur.

20 Tertio colligitur: presentiam localem realiter nullum dicere respectum intrinsecum aut connexionis, aut non connexionis ad aliam presentiam, aut rem vbiatam per illam, cum qua nihilominus, ac si eam respiceret, comparatur. Quamquam enim ad illam concepiatur relata relatione quadam distantia, contiguitatis, aut penetrationis; huiusmodi tamen relationes forma iter non tam reales sunt, quam rationis; realiter verò in coexistentia extremorum omnino accidentaria consistunt, vt relationes similitudinis, æqualitatis, distinctionis, & similes, iuxta doctrinam, generalem traditam in Pharo Scient. disput. 14. quat. 1.

21 Simili fere modo presentia, & res presentis per illam semiextrinsecè denominantur relate ad locum extrinsecum, à quo de facto circumdantur, locata in illo, contenta, inclusa, presentes, &c. De quo nullum est dubium.

22 Sed dubitari potest, an denominationes, quibus presentia, & res per illam presentis denominantur presentes spatio locali imaginario, in illo ve posita, seu locata, cum illo penetrata, seu adæquate, &c. sint etiam partim extrinsecè desumpta ab spatio ipso locali. Dico, esse verique. Quia, licet hæ denominationes non sint contingentes presentia, & rei presentis qua tali, sicut illa, quæ desumuntur à loco extrinsecò, sed prorsus necessariz; eo quod presentia suapte essentia, & consequenter res per illam presentis qua presentis inseparabilis prorsus à tali spatio sunt: hoc non tollit, quominus illa ab spatio ipso semiextrinsecè desumantur, intrinsecèque subinde illud in suo conceptu reali, siue fundamentali includant. Vti euenit in denominatione, qua creatura semiextrinsecè denominatur; dissimilis Deo; & in denominatione, qua cognitio cum suo obiecto connexa semiextrinsecè ab illo denominatur vera; & alijs similibus. Quod autem predicta denominationes sint eiusmodi, inde venit probandum primò: quia eodem modo concipiuntur à nobis illa relate ad spatium locale; atque alia relate ad locum extrinsecum. Ergo vtræque pariter includunt fundamentaliter terminum, ad quem formaliter referuntur. Secundo: quia denominatio durantis in tali spatio temporali semiextrinsecè desumitur ab ipso spatio, etsi duratio

forma superaddita, sit suapte essentia tali spatio temporali affixa, vt videbimus disput. 7. quat. 1. Ergo tantumdem dicendum est de denominatione presentis in tali spatio locali. Tertio: quia, esse vniam presentiam penetratam cum alia, denominatio est semiextrinsecè, vt constat ex nuper dictis. Ergo &, esse presentiam penetratam cum spatio, cui correspondet; eiusdem quippe generis est omnis extremorum penetratio, quod ad rem attinet. Et confirmatur: quia, spatium penetrari cum presentia, nequit non esse ei semiextrinsecum, cum sit contingens. Ergo, presentiam penetrari cum spatio pariter est ei semiextrinsecum, etsi sit necessarium. Idem autem, eodem iure dicendum venit de alijs denominationibus commemoratis, quæ in idem recidunt cum denominatione penetrationis. Quarto denique: quia Deus prout penetratus cum spatio Matritensi non est penetratus cum spatio Romano. Alioquin & ipsa spatia essent penetrata inter se; cum sit impossibile, esse quiddam intra B prout est intra A, nisi ipsum A sit intra B. Ergo penetratio Dei cum spatio Matritensi distincta est à penetratione Dei cum spatio Romano. Aliunde, autem, quam ab spatijs in eis inclusis distingui non possunt; cum sit eadem vtrobiq; intrinsecè presentia Dei.

Propositio 3.

Existimo, presentiam localem non rem, sed modum rei presentis esse. 23

Tum quia id sentiunt fere omnes Doctores; tum quia sufficit presentia perfectio modi; neque est, cur ei attribuamus maiorem perfectionem rei; & non sunt perfectiones adstruendæ sine necessitate: tum maximè quia ex conceptu suo obiectiuo actus quidam est, quo res, quam afficit, presentatur, seu vbiatur in spatio; neque est, cur dicamus aliter se habere re ipsa, quam à nobis concipitur. Quocirca non solum prout in mente nostrâ obiectiuè, sed etiam re ipsa est asserenda actus formalis, sicuti actio, vno, cognitio, & similes. Omnis autem actus formalis qua talis modus quidam est subiecti, vt constat ex generali doctrinâ traditâ in Pharo Scient. disput. 8. Ex quo patet, presentiam se ipsa esse vnitam, siue affixam rei, cuius est presentia; atque adeo impossibile esse, vt maneat sine illa.

Hæc probant vt minimùm, presentias, quæ dantur de facto superaddite, modos rerum presentium esse. Amplius tamen in propositione inuendo, nimirum, non esse possibilem presentiam, quæ non sit modus rei presentis. Quod probo, primò: quia effectus formalis presentis adeo videtur esse immediatus ex conceptu suo, vt nisi à forma immediate illum causante se ipsa provenire non possit; quales etiam sunt ex conceptibus suis effectus formales producentis, producti, patientis, vniti, & similes; qui citra controuersiam proueniunt à modis, quando non intimius à formalitatibus indistinctis. Id quod clarius cernitur in effectibus formalibus figurati, situati, fabricati; qui omnes fere ab vnâ presentia locali proueniunt. Igitur non potest quidpiam reddi presentis per presentiam, quæ non sit modus. Secundo: quia non minus videtur impossibile, vt detur presentia per se subsistens sine re presente, figura sine re figurata, sius

scus sine resituata, vt scio hominis sine homine sedente, &c. quàm, vt detur actio sine agente, & termino, vnio sine extremis vnitis, passio sine subiecto patiente, &c. Eset autem possibile de potentia Dei absolutà, si esset possibilis presentia, & consequenter figura, scus vt scio, &c. quæ non esset modus, sed res, vt constat: siquidem accidens, quod media superaddita vnione vnitur subiecto, benè potest de potentia absolutà subsistere separatim ab illo. Tertio: quia per presentiam sibi vnitam mediâ interiectâ vnione non fit quidpiam præfens spatio, cui talis presentia responderet: aliàs humanitas Christi domini vnita immensitati Dei non posset non vbiq; esse, quod est absurdum: &, quidquid est vnium rei alicubi præfenti, non posset non esse præfens ibidem, vt potè vnium saltem mediâ presentia illius, quod plus, quàm falsum esse, ex dicendis constabit. Igitur fieri aliquid præfens alicui spatio nisi à presentia, quæ sit modus immediatè efficiens se ipso id, quod sit præfens, provenire non potest. Quarto: quia negari nequit, esse possibilem presentiam facientem suum subiectum præfens spatio, quæ sit modus eius. Ergo impossibilis est presentia id ipsum præfens, quæ sit res: effectus enim formales modi, & rei non possunt non esse diuersi, vt alibi ostendo; & satis ex se apparet: proindeque idem effectus formalis à modo, & à re nasci non potest. Hæc satis pro sententia communi. Quæ autem pro suâ assert Arriaga à paritate aliorum accidentium, quæ non sunt modi, non vrgent. Negamus enim paritatem. Et quidem ab eadem paritate posset inferre, actionem, passionem, vnionem, & alia huiusmodi, quæ citra omne dubium sunt modi, modos non esse.

Propositio 4.

25 Possibilem censeo rem siue substantialem, siue accidentalem, quæ se ipsâ sine aliâ presentia à se distincta sit præfens alicui spatio locali; atque ad eam ei essentialiter affixa.

Primò. Quia in tali re nulla cernitur contradictionis implicatio. Secundò. Quia prædicata in varijs entibus dispersa, in eodem possunt identificata inueniri, quando inter se non sunt opposita, vt satis ex se videtur notum. Multa autem sunt aliorum entium prædicata, quæ prædicato vocationis nullatenus opposita sunt. Et quidem Deus se ipso absque presentia superaddita est præfens omni spatio. Ergo effectus formalis præfentis alicui spatio à formâ identificatâ cum re præfente nasci potest; vt & in ipsâ presentia locali nostrâ cernitur, quæ se ipsâ est spatio præfens. Quidni possibilis erit creatura, quæ per prædicatum presentia cum alijs identificato spatio locali præfens fiat?

QUESTIO II.

Quid sit spatium locale, quod imaginarium vocatur.

26 Inter Philosophos antiquos, qui, huiusmodi spatium locum esse, dicebant, quales fuerunt Stoici, Epicurei, & alij quæst. 3. referendi, quidam putarunt, teste Soar. disput. 51. Methaph. sect. 1. & Conimbric. lib. 4. Physic. cap. 5. quæst. 1. artic. 2. esse illud ens quoddam incorruptibile, & æternum, ac prorsus immobile, intra cuius finem tanquam intra receptaculum quoddam reale, & verum cætera cuncta recipiuntur, seu collocantur. Quam sententiam nouissimè defendit Petrus Gasendus in suâ Epicuræâ Philosophiâ tom. 1. à pag. 605. per multas sequentes, vbi sæpe dicit, huiusmodi spatium, esse rem quamdam æternam, immobilem, & incorpoream, quæ tamen neque est substantia, neque accidens; (non enim diuidi ens verum, & reale adæquatè in substantiam, & accidens, sed insuper in locum, & tempus); sed interuallum, intercapedo, spatium, siue spaciales dimensiones reuera, & independentè à nostro intellectu habentes esse à parte rei. Communis tamen reliquorum Philosophorum, præsertim recentiorum, sententia est, spatium, quod imaginarium vocatur, nullatenus esse quidpiam positium à Deo distinctum, & actu existens à parte rei; tamen si à nobis ad instar cuiusdam actualis extensionis concipiatur. Ita sentiunt Soar. Conimbr. supra Petrus Hurrad. disput. 14. Physic. sect. 2. Arriaga disput. 14. Physic. sect. 3. Quiedo controuert. 15. Physic. punt. 2. Franciscus Alphons. in Physic. disput. 22. sect. 2. Cardinal. de Lugo. tom. de Sacrament. disput. 5. de Eucharist. sect. 6. Spinula. disput. 10. Physic. sect. 1. Carlet. disput. 33. Physic. in initio, Lynce lib. 7. Physic. tract. 1. cap. 2. & alij communiter. Quorum multi nihilominus dicunt, spatium locale, dictum imaginarium, non merum figmentum, sed realem quamdam capacitatem esse (putà realitate, non existentia, sed essentia) consistentem in possibilitate cuiusdam localis presentia circumquaque in infinitum extensa. Nonnulli verò sequuti Lessium lib. 2. de Perfect. diuinis cap. 2. dicunt, spatium locale à parte rei esse ipsam immensitatem Dei infinite circumquaque diffusam, & virtualiter diuisibilem. Alij censent, consistere illud in negatione chymæ vbiq; necessariò existente. Alij, vt Carlet. supra sect. 2. in negatione non tollibili vocationis realis constata ex negationibus omnium vocationum extensiuè possibilium, vt vbiq; sit non tollibilis, seu necessariò existens; eo quòd negationes singulæ singularum vocationum inde sunt tollibiles, vbi vocationes, quas negant, possunt existere; aggregatum verò omnium omnino necessariò est vbiq; diffusum. Alij denique existimant, spatium prædicatum merum figmentum esse absque vilo fundamento reali.

Propositio 1.

27 Spatium, quod imaginarium appellant, non est aliquid positivum reale, & verum actu existens à parte rei, realiterque distinctum à Deo.

Probatur. Quia eiusmodi spatium ex suo conceptu, ut fatentur omnes, extensio quædam est quoquoersus infinita, immobilis, incorruptibilis, & æterna. Sed tale quid à parte rei non datur distinctum à Deo existens, ut fides docet: secundum quam cuncta, quæ sunt à parte rei existentia, & distincta à Deo, ab ipso in tempore facta sunt. Ergo tale quid ens quoddam rationis suppositivum est existens in mente, & imaginatione nostrâ dumtaxat; tamen cum fundamento in re, ut mox explicabo.

28 Respondet Gassendus pag. 616. non videri inconueniens, admittere tale quid à parte rei improductum, & independens à Deo, utpotè quod non est in genere entium producibilium, à Deoque proinde pendendum; quandoquidem Doctores Theologi passim docent, rerum essentias æternas, atque improductas, & à Deo independentes esse; quod intolerabilius videtur. Fallitur tamen, me quidem iudice, Auctor iste: quia asserere, rerum essentias esse æternas, & improductas, & independentes à Deo, quo sensu asseruntur à Theologis, nihil derogat fidei; tantum enim volunt, esse quasdam veritates quidditativas, & obiectivas ad rerum essentias spectantes semper, atque adeo ab æterno per vera iudicia iudicabiles, & enuntiabiles per veras propositiones independentes ab eorum existentia actuali; & consequenter à nutu voluntatis diuinæ, ut fufius explicatum est à nobis in Pharo Scient. disput. 10. quæst. 1. At ens quoddam reale, & actu existens concedere improductum, & independens à voluntate Dei, ab ipsoque Deo distinctum, quale Gassendus putat esse spatium locale, non video, qui fieri possit, ut non sit contra fidem.

29 Ratione etiam naturali ostenditur, tale ens repugnare. Quia, quidquid existit, & non ab alio tanquam à causa, hoc ipso est primum, ens, fons totius esse, atque adeo vndequaque, & essentialiter infinitum, & vnicum, & Deus, ut ex decursu huius Operis, & præsertim ex disput. 14. constabit. Ergo impossibile est ens existens independentem ab alio tanquam à causa, quod sit reale, & verum, & non sit Deus; quale ponitur à Gassendo spatium locale.

Propositio 2.

30 Independentem à conceptione, siue imaginatione nostrâ consistere, dicendum est, spatium locale in possibilitate reali, & verâ præsentiarum verorum entium sine sine circumquaque extensarum; quæ subinde possibilitas capacitas quædam realis talium entium venit vocanda, non quidem realitate existentia, sed realitate essentia, seu quidditatis, seu possibilitatis iuxta doctrinam vniuersalem de statibus rerum traditam in Pharo Scient. disput. 10.

Ita tenent re ipsâ, aut etiam loquantur multi ex præcitatæ Doctores, & satis congruè. Quia, cum sit de essentia huiusmodi præsentiarum, prædictam extensionem infinitam quoquoersus conficere, quemadmodum illam verè conficerent essentialiter, si existerent; ita modo verè conficiunt quidditatiuè, seu possibiliter, quatenus verè sunt possibles ynacquæque in gradu suo, & non in alio, etiam, dum non existunt. Verèque proinde huiusmodi earum possibilitas capacitas quædam realis est omnium verorum entium, quæ cum huiusmodi extensione vnumquodque in suo gradu per tales præsentias locari possunt, siue præsentia reddi. Realis, inquam, non realitate existentia; sed realitate essentia: quo pacto realis capacitas, atque adeo etiam reale spatium dici potest.

Cæterum, quia huiusmodi realis capacitas, realisve possibilitas præsentiarum sine sine circumquaque extensarum, seu componentium extensionem circumquaque infinitam connaturalissimè apprehenditur, siue concipitur à nobis per speciem cuiusdam magnitudinis ab omni ente permeabilis, seu penetrabilis, atque æternaliter, & immobiliter existentis, spatium imaginarium, dum sic concipitur, dici solet: quia tale, quale nobis per talem speciem apparet, re ipsâ non est. Quo iure etiam, dum negationem concipimus per speciem rei positivæ, & quod re ipsâ non est actus, neque relatio formalis, per speciem actus, aut relationis, obiectum quoddam imaginarium dici possit concipi à nobis. Vnde sicut, cum concipimus negationem per speciem entis, & quod in se est absolutum, per speciem relatiui, entia quædam rationis facimus non ficta, sed suppositiua, iuxta doctrinam statutam in Pharo Scient. disput. 12. quia, quod per tales conceptus intendit intellectus cognoscere, veritates quædam reales sunt, absoluteque proinde dicimur concipere veritates reales; quia fundamenta vnde sumuntur, seu potius pro quibus substituantur prædicti conceptus, reales sunt. Ita, cum prædictam capacitatem, possibilitatemve præsentiarum per prædictam magnitudinis iam actu extensæ speciem concipimus, ens quoddam rationis facere dicendi sumus, non fictum, sed suppositivum; quia id, quod per talem conceptum intendit intellectus nosse cognoscere, veritas quædam realis est, nempe capacitas, seu possibilitas ipsa. Absoluteque proinde dici etiam potest, concipere nos eo conceptu aliquid reale; nempe capacitatem, siue spatium, quod, licet formaliter sumptum, prout nobis per eam speciem apparet, sit quid rationis modo dicto, fundamentaliter tamen sumptum, prout in se se habet, quid reale est, non quidem realitate existentia, sed realitate essentia. Ex quibus apparet, quo sensu spatium locale reale quid, & quo sensu quid imaginarium veniat dicendum.

Aduerto tamen, aliter, quàm per prædictam speciem, posse prædictam possibilitatem, aut quidditatem præsentiarum, quam spatium reale realitate essentia dicimus, concipi à nobis. Si tamen aliter concipiatur, conceptus obiectiuus eius non euadet idoneus, uti euadit ille, quem per prædictam speciem formamus, ut nobis sit loco mensuræ, qua mensuramus rerum præsentias, & in ordine ad quam dignoscimus earum distantias, contiguitates, penetra-

tio.

tionem, &c. Tantum interest eandem veritatem obiectivam per hanc, aut per aliam speciem, sub istoque, aut alio conceptu concipi à nobis. Quod & in alijs materijs cernere est. Si enim concipias quantitatem per speciem cuiusdam entis non implicantis contraditionem, atque adeo producibilis; utique sub tali conceptu non poterit tibi servire loco mensuræ ad alias quantitates metiendas; bene tamen, si illam concipias per speciem cuiusdam lineæ tantæ extensionis, aut cuiusdam superficiæ tantæ extensionis, & talis figuræ, aut cuiusdam solidi tantæ etiam extensionis, & talis figuræ. Sic, si concipias possibilitatem, aut quiditatem præsentiarum, seu potius præsentia totalis ex eis compositæ (quam dicimus spatium reale realitate essentiali) per speciem cuiusdam entis non implicantis contraditionem, & producibilis à Deo; certe tibi sub hoc conceptu deferuire non poterit ad mensurandas, & dignoscendas præsentias rerum, earumque distantias, propinquitates, penetrations, &c. Bene tamen, si illam concipias, uti concipitur, cum cadit sub hoc nomine *spatium locale*, per speciem cuiusdam magnitudinis actu existentis, prorsus continuæ, quoquoersus, & circumquaque infinite extensæ, quoad longitudinem scilicet, quoad latitudinem, & quoad profunditatem, ab omni ente penetrabilem, qualis profecto prædicta totalis præsentia re ipsa est præcisè per se considerata absque omni alio ente, non quidem existentialiter, ut concipitur, sed quiditativè, & essentialiter.

33 Deinde est etiam advertendum, spatium locale non consistere re ipsa in capacitate, seu possibilitate omnium præsentiarum possibilium, sed earum præcisè, quæ satis sunt ad componendam suapte essentiali extensionem circumquaque continuam, & infinitam, expertemque omnis quasi intensiois. Unde, cum in quovis gradu seriei extensionis præsentiarum possibiles sint infinite alia præsentia suapte essentiali inter se penetrata, atque adeo nullam inter se comparata facientes extensionem, sed quamdam veluti intentionem, ut supra quæst. 1. propos. 2. dicebamus; indeque fiat, possibiles esse infinitas quoad multitudinem præsentias totales inter se penetratas, quarum singula sint circumquaque infinite quoad trinam extensionem; putandum non est, spatium locale re ipsa in possibilitate consistere omnium istarum præsentiarum. Consistit namque vel in unica sola earum vagè usurpata, vel in conceptu extensionis omnium ab omni earumdem intensioe præciso. Ita quidem, ut spatium locale compositum sit dumtaxat quoad extensionem, eamque continuam, & infinitam, quoad intensioem verò penitus simplex; atque adeo quoad extensionem sit divisibile, quoad intensioem verò minime, sed penitus indivisibile; quale etiam à nobis concipitur eo conceptu iam exposito, sub quo spatium imaginarium vocatur.

34 Ex quibus omnibus concluditur; quæcumque de rerum præsentia affirmare solemus relatè ad spatium locale, prout illud nos imaginamur, ut, quod hæc, & illa præsentia, & res, quas afficiunt, penetrantur in eodem spatio; quod talis res in tali spatio existit, in eo ve vbiatur, seu præsens est; quod penetratur, quod adæquatur cum illo; quod est contigua spatio immediato; quod, prout in hoc spatio existit, tantum distat ab illo, &c. quæcumque, inquam, ita dicimus,

perinde esse vera, ac si spatium locale ita se haberet à parte rei, ut à nobis concipitur. Quia in huiusmodi loquutionibus tum huius materiæ, tum aliarum non tam attenditur ad conceptus suppositivos, quos noster intellectus format de rebus, quam ad fundamenta realia, & vera, unde illos sumit, seu potius pro quibus cognoscendis illos substituit iuxta doctrinam generalem traditam in Pharo Scient. disput. citat. atque etiam alibi. In hac autem materiæ ad omnes hæc loquutiones fundamenta realia præbent tum quiditas præsentiarum, in quibus prout possibilibus spatium locale re ipsa consistit, capacitasque subinde quædam earum est, tum quiditas præsentiarum existentium, quæ cum illis, cum capacitate ve conflata ex illis comparatur aliquo ex dictis modis.

Quæ cum ita sint; infero primò, neutquam dicendum esse spatium locale in immensitate intrinsecà Dei re ipsa consistere. Tum quia cogitatio hæc aliena est prorsus à mente penè omnium Theologorum celebri quæstione inquirentium, utrum Deus sit in spatio imaginario extra Cælum; quæ quæstio nugatoria esset, si spatium imaginarium esset Deus ipse: imò & à mente omnium Philosophorum passim dicentium de vnaquaque re, esse eam in hoc, aut in illo spatio locatam, aut esse eam ab hoc, vel ab illo spatio distantem. Cum tamen nemo unquam putaverit, aut imaginare, nedum asserere, potuerit, esse rem aliquam locatam in Deo, vel distantem ab ipso. Tum quia immensitas intrinsecà Dei omnino est indivisibilis, etiam virtualiter, ut ostendemus disput. 6. & consequenter penitus inextensa intrinsecè. Constat autem spatium locale divisibile, & extensum esse debere. Tum denique quia ab spatio locali habet semiextrinsecè Deus esse circumquaque infinite extensum, prout explicabimus disput. citat. Nequit igitur esse Deus entitativè ipsum spatium locale.

Secundò infero, spatium locale re ipsa in nulla negatione entis aut impossibili, aut possibili posse consistere. Tum quia titulus existentia actualis negationis, cui Aduersarij nituntur ad constituendum in illa spatium locale, nullus est; siquidem negatio nullum esse actuale habet: cum non in esse, sed potius in non esse, consistat, prout latè in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 3. expositum est. Tum quia negatio vel eà ratione, qua per quamdam æquivalentiam dici potest existens iuxta dicta ibidem, nequit ratione sui esse extensa, prout requiritur ad spatium locale, sed tantum ratione extensionis positivæ, quam remouet: atque ita in quiditate huius, quando est possibilis, potius, quam in ipsius negatione dicendum est re ipsa consistere spatium locale. Dico, quando est possibilis: quia, cum spatium locale debeat esse quædam capacitas, & consequenter possibilitas extensionis localis, in extensione impossibili nullatenus potest consistere. Unde patet, negationem extensionis impossibilis duplici titulo non posse esse spatium locale. Primò; quia non habet extensionem ratione sui. Secundò; quia extensio, quam remouet, inepta est ad spatium locale. Negationem verò extensionis possibilis tum primò ex dictis duobus titulis; tum insuper alio non posse esse spatium locale: quia scilicet non est necessaria, seu non tollibilis, prout debet esse spatium locale; cum possit per ipsam extensionem possibilem, quam remouet, penitus tolli, ut contra Carleton ostendimus

mus infra quæst. 9. Vbi etiam monstrabimus, negationem entis seu possibilis, seu impossibilis omnino inextensi nullatenus extensam esse; atque adeo eo præterea titulo esse illam ad spatium locale prorsus ineptam. Denique nulla negatio potest esse spatium locale: quia nulla negatio est capacitas extensionis positivæ qualis debet esse spatium locale, ut satis superque est per se notum; & quia nulla negatio est idonea mensura entis positivi, qualis est omnium locabilium spatium locale; cum potius omnis negatio est contra per ens positivum merienda veniat, qua ratione potest negatio cadere sub mensuram.

37 Iam verò, capacitatem, seu possibilitatem localis extensionis, in qua ponimus reipsa spatium locale, non esse quidpiam actu existens reipsa, neququam debuisset movere, ut movit Carleton & alios ad hoc, ut derelicta sententiâ communi, confugerent ad quaerendum illud in negationibus. Quia ad hoc, ut nos cum veritate loquamur, ut sæpe loquimur, quasi supponentes esse spatium locale aliquid actu existens; sat est, quod ita illud imaginemur, & quod reuera subsistant fundamenta, quæ huiusmodi loquutionum sunt veritativæ iuxta doctrinam stabilitam. numer. 34.

38 Tertiò tandem infero, spatium locale, quod imaginariū vocamus, non esse merum signum abique reali fundamento constitutum; atque adeo, non esse ens rationis fictum, etsi sit ens rationis suppositivum sui præm formaliter habens pro fundamento reali capacitatem, seu possibilitatem extensionis localis, siue præsentiam localis extensæ circumquaque infinitæ, prout satis superque constat ex hæcenus dictis.

QVAESTIO III.

Quid sit locus, seu potius quid venias hoc nomine nuncupandum.

39 **E**Tenim, suppositis dictis in primâ, & secundâ quæst. hæc quæstio tertia dumtaxat de nomine est. Stoici, Epicurei, & alij ex Philosophis antiquioribus spatium illud, quod nos imaginariū vocamus, quodque privatum corpore, *Inane* appellabant, repletum corpore ipsius corporis locum esse dixerunt. Quam sententiâ sequuti sunt præterea Empiricus, Straton, Lampiscenus, Syrianus, Galenus, Philoponus, & alij, ut referunt Comimbrius lib. 4. Physic. cap. 5. quæst. 1. art. 2. & Petrus Castellus pro eadem novissimè stans tom. suo 1. Philosophiæ Epicuri pag. 611. & sequentibus.

40 Aristoteles verò lib. 4. Physic. cap. 4. docet, locum esse *Circumdantis corporis extremum immobile primum*. Quem omnes Peripatetici sequuti sunt. Unde illa vulgaris definitio loci manavit, *Est ultima superficies corporis continentis immobilis primò*. Dicitur corporis continentis primò, ad excludendas ultimas superficies aliorum corporum maiorum, quæ non immediatè, sed remotè, atque adeo veluti secundariò continent locatum, & locum. Dicitur etiam superficies immobilis iuxta communem expositionem, præsertim Recreatorum, ut significetur, ultimam superficiem corporis continentis, seu circundan-

tis locatum, non utrunque esse locum eius, sed reduplicativè ut præsentem in tali spatio, quo pacto ratione præsentiam immobilis est. Ex quo patet, locum iuxta sententiâ istam ex duobus necessariò componi, ex superficie scilicet ultimâ corporis continentis, & ex præsentiam eius in tali spatio, à qua habet, ut sit immobilis, qualis locus esse debet iuxta sententiâ omnium; alioquin posset locatum prorsus immotum mutare loca, aut non mutando loca moveri. Quod utrumque reputatur absurdum. Unde, stando in hac sententiâ, vulgò colligitur ad identitatem numericam loci neque requiri identitatem superficiæ ambientis, neque identitatem præsentiam eius, sed locam identitatem spatij localis eiusmodi superficiæ. Ob idque turrim semper dicendam manere in eodem loco; tamen singulis momentis mutet superficiæ aeris ambientis cum ipsarum præsentis; quia semper est verum, manere circumdatam aliquâ superficie immediatâ alicuius corporis continentis per aliquam præsentiam præsentem in hoc numero spatio locali, quod imaginariū appellant. Et è conversò ob id aquam in vase inclusam mutare loca, dum vas movetur; tamen intra eandem semper ultimam superficiem vasis contineatur: quia mutat spatia, quibus talis superficies per motum successivè sit præsens.

Tertia sententiâ potest eorum esse, qui præsentiam, quam mobile per motum adquiret intrinsicam sibi, & in hærentem, iuxta dicta quæst. 1. locum intrinsicum appellant, quem modum loquendi probabilem reputant Tolet. lib. 4. Physic. quæst. 8. & Soar. disput. 51. Met. sect. 2.

Ego in hac quæstione de nomine arbitror primò, spatium locale satis congruè dici locum rei tali spatio correspondentis, siue illud quid reale, siue quid imaginariū esse dicatur, quo pacto explicatum est quæst. 2. Imò de facto iuxta vulgarem, communemque hominum conceptionem satis frequenter, ne dicam plerumque, venit haud dubie nomine loci intelligendum eiusmodi spatium. Eius autem appellationis congruitas in eo stat, quòd omnium conceptione proprietates loci sunt, esse immobilem, esse æqualem locato, siue ei adequari, acquiri per motum latioris, recipere in se locatum, &c. Quæ omnes iunctæ in nullo alio conceptu ita propriè, ac in prædicto spatio reperiunt videntur. Secundò arbitror, bene etiam dici locum, extrinsecum tamen, quem Aristoteles definiit. Tertiò, improprie valdè, & abusive dici locum præsentiam intrinsicam rei locatæ: quia omnis res locata in suo loco dicitur esse, aut præsens esse, & tamen nulla unquam res dicitur esse, aut præsens esse in sua intrinsecâ præsentiam. Quare, hac usurpatione loci relicta, iuxta alias duas duplex locus est distinguendus, quorum primus locus imaginariū; secundus verò locus realis distinctionis gratiâ dicentur. Itaque spatium, quod imaginariū appellant, aut spatium locale, aut locus imaginariū dicitur deinceps: locus autem realis ille, quem definiit Aristoteles, nimirum superficies immobilis ambiens immediatè rem locatam, Quo fere modo etiam in imaginariū, & reale dividemus tempus inferius disput. 7. quæst. 2.

Unde colliges; qua ratione Cælum omnium supremum, (quod veteres Philosophi primum mobile esse putabant, nos verò credimus, esse

esse Cælum Empyreum), dicendum sit esse in loco, vel secus. In cuius rei determinatione non tam leui labore, quam fructu multi vexati sunt, dicentibus alijs, vt Alexand. Cælum supremum non esse in loco; alijs, vt Gibert, locum supremi Cæli esse vltimam superficiem eius; alijs, vt Abempac. Alpharab. Auerr. locum supremi Cæli esse centrum mundi; alijs, vt Aristot. quem multi sunt sequuti, Cælum supremum per accedens tantum esse in loco ratione partium. De quo plura Conimb. lib. 4. Physic. cap. 5. quæst. 2. Verum ex dictis facile constat, quid in hac re dicendum sit: nempe Cælum supremum, vltra quod non est aliud corpus, non esse in loco reali illud circumscribente; esse tamen in loco imaginario, in spatio locali, quod occupat.

QVÆSTIO IV.

Quotplex sit presentia localis, seu vocatione.

44 **E**Ns, quod per presentiam ponitur in spatio locali, imprimis aliud est simplex, & indiuisibile physicè, vt Angelus; aliud compositum, & diuisibile physicè, vt corpus. (Hic namque solum est sermo de simplicitate, & compositione physica). Compositum autem ens aut ex solis indiuisibilibus, aut ex solis partibus in infinitum diuisibilibus, aut ex vtriusque compositum considerari potest; siue omnia hæc compositionis genera sint possibilis, siue secus, de quo disput. 10. Similiter spatium, in quo ens per presentiam ponitur, aut simplex, seu indiuisibile, aut compositum, seu diuisibile aliquo ex prædictis tribus modis concipi potest. Porro tam ens simplex, quam ens compositum tum in spatio indiuisibili, tum in spatio diuisibili poni præsens potest.

45 Quando ens simplex ponitur præsens in spatio diuisibili, necesse est, vt totum in toto spatio, & totum in singulis partibus spatij præsens sit, vt est notum. Ens verò compositum bifariam in spatio diuisibili potest præsens poni. Primo, ita, vt totum illud in toto spatio, & singula partes illius in singulis partibus spatij præsentis sint per distributionem accomodam. Secundo, ita, vt totum illud in toto spatio, & totum etiam in singulis partibus spatij sit præsens, ad instar entis indiuisibilis.

46 Et presentia quidem, qua quoduis ens seu simplex, seu compositum in spatio diuisibili collocatur totum in toto, & totum in singulis eius partibus, presentia definitiua appellatur, latè hoc vocabulo vsurpato. Qua verò ens compositum in spatio diuisibili collocatur, ita, vt totum ens sit in toto spatio, & singula partes entis in singulis partibus spatij distributiue, presentia circumscriptiua dicitur. Presentia denique, qua quoduis ens seu simplex, seu compositum, in spatio indiuisibili collocatur, nondum, vt deberet, speciale nomen sortita est. Dicatur ergo distinctionis gratia presentia contractiua. Acquero tamen, nomine entis, & spatij compositi, seu diuisibilis tantum venire impræsentiarum illud intelligendum, cuius partes inter se continuatæ sunt, aut saltem se se immediate tangentes,

sue contiguæ. Si enim aliquo modo sint interruptæ, aut loco distatæ, quod attinet ad institutum præsens, non vnum ens, aut vnum spatium, sed plura dicentur.

Iam verò presentia definitiua entis indiuisibilis duplex est. Altera, quæ penes diuisibilitatem spatij, cui correspondet, diuisibilis est, ita, vt singulis partibus spatij, singula quoque presentia partes inter se distinctæ respondeant, quæ tamen eiusdem subiecti presentia sint. Altera, quæ omnino indiuisibilis est, atque ita, non per suarum partium distributionem, quas non habet, sed per sui totius replicationem, siue repetitionem ponitur, ponitque suum subiectum in omnibus, & singulis spatij partibus. Talis est presentia, quæ Deus spatio diuisibili præsens est, vt ostendemus disput. 6. Cæterum neutra harum presentiarum erit possibilis, nisi spatium diuisibile, cui correspondet, ex solis indiuisibilibus, non verò insuper ex partibus in infinitum diuisibilibus componatur, vt infra quæst. 6. monstrabo.

Presentia autem definitiua entis diuisibilis 48 quadruplex est. Prima, quæ penes diuisibilitatem tam spatij, quam subiecti diuisibilis est, atque ita ex duplici genere partium constat; alia sunt, quibus qualibet pars subiecti sit præsens omnibus, & singulis partibus spatij; alia sunt, quibus in qualibet parte spatij ponuntur omnes & singula partes subiecti. Secunda, quæ penes diuisibilitatem solius spatij, non item subiecti, est diuisibilis; cuius proinde qualibet pars in parte spatij, cui correspondet, ponit præsens indiuisim totum subiectum; atque ita singulis partibus subiecti per sui repetitionem inheret. Tertia, quæ penes diuisibilitatem solius subiecti, non item spatij, est diuisibilis; cuius proinde qualibet pars eam subiecti partem, cui vnice inheret, in omnibus, & singulis partibus spatij per sui repetitionem, siue replicationem ponit. Quarta denique, quæ omnino indiuisibilis est, atque ita per quamdam sui repetitionem inheret singulis partibus subiecti, per alteramque sui repetitionem omnes, & singulas earum ponit in singulis partibus spatij.

Presentia circumscriptiua solum potest esse 49 composita ex partibus, quarum singula partibus distinctis tum subiecti, tum spatij respondeant, vt constat ex eius descriptione tradita supra.

Presentia denique contractiua, si sit entis 50 indiuisibilis, omnino indiuisibilis erit. Quia & subiectum, & spatium eius sunt indiuisibilia. Nisi quis velit ex partibus puræ intentionis posse esse compositam: de qua presentiarum compositione modo non agimus. Si verò sit entis diuisibilis, duplex ad rem distingui potest. Altera diuisibilis penes diuisibilitatem subiecti, cuius singula partes singulas subiecti partes in eodem indiuisibili spatio ponant. Altera omnino indiuisibilis, quæ per replicationem sui omnibus, & singulis partibus subiecti inheret, easque collocet in suo spatio indiuisibili.

Sunt præterea multa alia genera presentiarum 51 haud dubie excogitabilem, quæ ex commixtione præcedentium, omni earum combinatione facta, resultant. Verum in eis prolixius recensendis non oportet morari. Sat sit exempli gratia scire, esse excogitabilem presentiam definitiuam subiecti indiuisibilis, quæ partim

tim per suarum partium distributionem, partim per sui totius replicationem in aliquo spatio extenso collocet illud. Tum aliam, quæ idem præster suo subiecto diuisibili. Tum aliam, quæ subiecto suo diuisibili partim per suarum partium distributionem, & partim per sui totius replicationem inhzreat, & alias huiusmodi.

52 Porro hæc omnes præsentias locales commemoratas esse possibiles haud dubium mihi est, Quia in nullâ earum implicatur aliqua contradictio, Id quod de mente omnium Doctorum esse videtur, vno excepto Carleton, qui disput. 17, Physic. sect. 5, contra omnes, vti fatetur ipse, opinatur, impossibilem esse vocationem indiuisibilem collocantem subiectum suum in spatio diuisibili. Sed verò Auctor iste tum falli, tum inconsequenter loqui videtur; quatenus ibidem concedit possibilem actionem indiuisibilem ad plures terminos, seu plures effectus terminatam; & vnionem indiuisibilem, quæ vniantur plures formæ eidem subiecto, vel vna pluribus subiectis; nec non vocationem indiuisibilem, quæ plura subiecta afficiantur, & in eodem spatio indiuisibili collocentur. Quod vtrumque ex solutione argumentorum, quæ pro se congerit, notum fiet. Indeque etiam constat; quia Deus per vocationem indiuisibilem à se distinctam, per suam videlicet intrinsecam immensitatem, in spatio locali diuisibili, imò infinite extenso fit præsens. Sicut & per suam intrinsecam, indiuisibilemque aternitatem in spatio temporali diuisibili, imò infinite extenso fit durans. Quin opus sit confingere, vti ipse Carleton, & alij confingunt, pro infinitis partibus spatij localis, aut temporalis in immensitate Dei, aut aternitate infinitudinem partium virtualium, seu virtualiter distinctarum; prout etiam patebit ex solutione argumentorum.

53 Arguitur itaque ex Carleton primo sic, Vbicatione indiuisibilis, verbi gratia, Angeli, eo ipso, quòd caret partibus, totam suam essentiam debet habere vbicunque sit, vt est notissimum. Ergo, si essentia eius est figere Angelum spatio diuisibili, inqualibet parte talis spatij debet habere figere Angelum toti ipsi spatio, atque adeo omnibus partibus eius, Hoc autem impossibile est. Quia in parte A nequit habere, figere Angelum parti B, sed solum, figere ipsi parti A; cum nequeat Angelus prout fixus parti B esse fixus parti A, quia B, & A sunt simul localiter. Quod prorsus eis repugnat. Et confirmatur, Quia dicta vbicatione prout in spatio A non habet prædicatum figendi Angelum spatio B; quod tamen ponimus esse de essentia eius. Ergo prout in spatio A non habet totam suam essentiam. Aliundeque necessario habet totam; cum sit indiuisibilis. Quod est contradictio. Quòd autem prout in spatio A non habeat prædicatum figendi Angelum spatio B; est clarum. Quia alioquin nulla vbicatione posset figere Angelum spatio A; quin simul figeret spatio B. Quod est manifestum absurdum. Concluditur ergo vbicationem indiuisibilem figentem Angelum suapte essentia duabus, aut pluribus partibus spatij implicatorem contradictionis esse; atque adeo omnino impossibilem.

54 Retorqueo imprimis hoc argumentum contra arguentem ipsum in vnione vnus formæ ad duo, plurave subiecta, quam ipse possibilem ponit. Talis namque vnio itidem prout in

subiecto A non habet vnire formam subiecto B. Nam aliàs nulla vnione posset forma vniri subiecto A; quin simul vniretur subiecto B. Quòd planè absurdum est. Ergo iuxta argumentum factum talis vnio prout in subiecto A non habet totam suam essentiam. Aliundeque necessario illam habet; cum sit indiuisibilis. Quod est contradictio. Pariterque venit vniversè probandum, nullum esse possibilem actum indiuisim respicientem plura subiecta, aut plures terminos. Atque ita neque Deum cum causâ creatâ concurrere per eandem actionem ad eundem effectum; neque intellectum, aut voluntatem cum habitu supernaturali ad eandem intellectionem, aut volitionem; neque passum recipere formam ab agente per eandem entitatem actionis, per quam agens producit illam in passivo. Imò neque ab agente fieri effectum per eandem actionem; quæ facit illum agens. Neque Beatum per eandem intellectionem posse intelligere plura obiecta, &c. Quæ omnia absurda sunt. Patetque subinde, argumentum inferens illa fallax omnino esse.

55 Igitur, vt ad illud respondeam, suppositâ doctrinâ actuum traditâ in Pharo Scient. disput. 8, prænoto vniversè, omnem actum respicientem, ex suo conceptu formali plura extrema indiuisim seu tanquam subiecta, seu tanquam terminos, diuersas fortiri veritates obiectiuas re ipsâ comparative ad singula sumpta seorsim, diuersitate videlicet oriundâ à talibus extremis tanquam à connotatis. Sic, cum Deus, & creatura per eandem actionem simul causant effectum, oriri talem actionem à Deo, & oriri à creaturâ, à diuersitate connotatorum diuersæ veritates sunt. Ob idque talis actio prout à Deo potest esse honesta, & amabilis; etiam, quando prout à creaturâ est peccaminosa, & odibilis. Subindeque Deus illam, prout est à se, amare potest, & simul illam odio habere, prout est à creaturâ. Similiter diuersæ veritates sunt agens agere, & passum pati eundem effectum; tamen actio agentis, & passio passi idem realis actus sit; per quem subinde vice versâ neque agens pati, neque passum agere talem effectum dici cum veritate, potest. Quòd si verò, quando actus respiciens plura extrema indiuisim formali re ipsâ est, vt in exemplis positis, essentiamque propterea habet ab ipsis extremis adæquate distinctam, diuersas nihilominus ab ipsis extremis vt à diuersis connotatis fortitur veritates, vt dictum est; multo potiore iure sortietur illas, quando solum in mente nostra formali est, respectiuusque ad talia extrema, re tamen ipsâ includit illa in suo conceptu, siue essentia reali. Manifestum est enim, dum Ioannes assimilari dicitur Petro, & Paulo, diuersam veritatem esse, Ioannem assimilari Petro, ac Ioannem assimilari Paulo; quia prima coalescit realiter ex Ioanne, & Petro; secunda verò ex Ioanne, & Paulo. Vnde ad rem nostram accedendo; quia vbicari in spatio A conceptione nostrâ dumtaxat est actus respiciens spatium A; eo quòd vbicari Angelum in spatio A denominatio est semiextrinsecâ includens in suo conceptu reali ipsum spatium A, prout constat ex doctrinâ statutâ quæst. 1, proposit. 2. num. 22. manifestè concluditur, si per eandem vbicationem sibi inhaerentem vbicetur Angelus simul in spatio A, & in spatio B; hoc, quod est, vbicari in A per talem vbicationem, & hoc, quod est, vbicari in B per eandem, duas diuersas

56 *fas veritates esse re ipsa à diuersitate spatiorum A. & B inelussorum in illis.*

Hinc facillimè sedat solutio argumenti facti, atque confirmationis eius. Dicimus enim, dum per vbcationem intrinsecè indiuisibilem, & sibi inhærentem vbcatur Angelus in spatio diuisibili, quot sunt partes talis spatij diuersæ inter se, tot veritates actualis vbcationis Angeli resultare similiter inter se diuersas. Quæ totidem sunt semiextrinsecæ denominationes prouenientes eidem vbcationi inhærenti Angelo à dictis partibus spatij. Quo fit, vt, licet sit verum, talem vbcationem, prout est in parte spatij A, non figere Angelum parti B; falsum tamen sit, desse tali vbcationi prout in parte A aliquod prædicatum intrinsecum, atque adeò non habere ibi totam suam essentiam; solum namque deest illi prout in parte A semiextrinsecum prædicatum figendi Angelum parti B, ex defectu scilicet ipsius B, quæ non est in A. Quo cessat omnis contradictio per argumentum, eiusque confirmationem illata, vt patet.

57 Hinc etiam apparet, quomodo Deus per suam intrinsecam immensitatem, prorsusque indiuisibilem tam virtualiter, quam formaliter possit fieri, de factoque fiat præsens infinitis partibus totius spatij localis; quin desit ei in aliqua earum aliquod prædicatum intrinsecum; tamen si prout in earum singulis non sit præsens in reliquis, defecta scilicet dumtaxat ipsarum reliquarum sibi prorsus extrinsecò; vt latius exponemus infra disput. 6.

58 Secundò ex eodem Carleton sic obijci potest. Vbcatio indiuisibilis in secundo suæ durationis instanti figens Angelum alicui spatio locali, cui in primo instanti non figebat, planè est impossibilis, non ob aliam rationem, nisi quia in primo suæ durationis instanti asser sine suâ integrâ essentiâ; quod est chymaricum: quia esset sine prædicato sibi essentiali figendi Angelum tali spatio. Sed vbcatio indiuisibilis figens Angelum duobus spatijs, pariter in quouis eorum esset sine suâ integrâ essentiâ; quia in quouis eorum esset sine prædicato sibi essentiali figendi Angelum in altero: nec minus chymaricum est, esse quidpiam sine integrâ essentiâ suâ in aliquo loco, quam in aliquo tempore, vt constat. Igitur vbcatio indiuisibilis figens Angelum duobus spatijs, impossibilis etiam est.

59 Respondeo, vbcationem, de qua in antecedenti, bifariam posse excogitari. Primò, vt talis essentia sit, quæ, supposito dumtaxat tali spatio locali, in quocunque tempore existat, non possit non reddere Angelum ipsi spatio præsentem. Secundò, vt talis essentia sit, quæ ad reddendum Angelum tali spatio præsentem non solum exposcat consortium talis spatij, sed insuper talis determinati temporis. Et, si vbcatio quidem sit primi generis, chymaricum erit, quòd in primo suæ durationis instanti non reddat Angelum tali spatio præsentem, & reddat in secundo. Quia in vtroque sunt omnia fundamenta talis denominationis, atque adeò tota realis essentia eius. Chymaricumque est, dari in aliquo instanti temporis totam denominationis essentiam sine denominatione ipsâ, vt constat. Si verò vbcatio sit secundi generis, benè poterit reddere Angelum in secundo suæ durationis instanti præsentem spatio, cui non reddebat præsentem in primo. Quia, donec accedat secundum instans, non adsunt omnia fundamenta talis denominationis, vt potè

quorum vnum, vt ponimus, est instans ipsum. Puto autem vtramque vbcationis essentiam esse possibilem; quia in neutrà apparet contradictio. Vtque secunda potest in primo suæ durationis instanti non figere Angelum spatio, cui figit in secundo, quia desit ei in primo aliquod prædicatum intrinsecum, sed ex defectu dumtaxat ipsius instantis secundi; ita vbcatio indiuisibilis figens Angelum duobus spatijs, potest in quolibet eorum non figere Angelum alteri, quin desit ei aliquod prædicatum intrinsecum, sed ex defectu dumtaxat ipsius alterius. Ex quibus patet, per argumentum oppositum nihil probari contra nos. Alia autem argumenta, quæ pro se adiungit Carleton facillimè poterunt ab vnoquoque per doctrinam traditam dilui; ob id ea omitimus.

60 Quòd si vbcatio indiuisibilis ex parte spatij, & illud nihilominus per sui replicationem, sue repetitionem replens possibilis est; potius iure erit possibilis vbcatio indiuisibilis ex parte subiecti diuisibilis, & omnes eius partes nihilominus per sui repetitionem efficiens. Vt satis ex dictis est notum. Vnde manifestè consequitur, omnes species vbcationis à n. 46. recensitas posibles esse.

QVAESTIO V.

Quid sit motus localis. Et quotuplex.

61 **P**RO resolutione suppono primò, actionem dici generatim eum actum, quo causa efficiens causat, seu producit effectum. Vnde actio in genere idem est quod causatio, seu causalitas, qua causa efficiens causat, seu producit effectum: atque adeò etiam productio dicitur.

62 Suppono secundò ex sententia communi, actionem de facto plerumque saltem esse actum, medium inter causam efficientem, & eius effectum realiter ab vtroque distinctum, atque adeò reipsâ formalem, physicoque ex conceptu suo tangentem vtrumque. Quoties enim effectus indifferens est, vt fiat ab hoc agente, vel ab alio, aut fiat hoc, vel alio modo, tunc non potest non effectus distingui realiter ab actione qua fit. Similiterque quoties agens est indifferens, vt faciat, vel non faciat talem effectum, aut faciat hoc, vel alio modo, tunc non potest non agens distingui realiter ab actione, qua facit illum. Et quoniam plerumque saltem, ne dicam semper, dantur indifferentiæ ista de facto in efficientibus, quæ faciunt, & in effectibus, qui sunt: idcirco dicimus, de facto plerumque saltem actionem esse actum medium inter efficiens, & effectum realiter ab vtroque distinctum. Tamen de possibili non repugnet actio identificata realiter aut cum solo effectum, aut cum solo efficiente, aut cum vtroque, vt probamus suo loco.

63 Suppono tertio, actionem aliam esse creatiuam, quæ creatio dicitur; aliam eductiuam, quæ dicitur eductio. Creatio est actio, sine productio rei ex nihilo, hoc est, ex non præsuppositâ materiâ, siue subiecto: talis est actio qua Deus producit Angelum, & qua producit animam rationalem. Eductio autem est actio, sine productio rei ex præsuppositâ materiâ, siue subiecto: cuiusmodi est ea, qua ignis ex ligno facit alium ignem; & ea, qua sol in aere, alijsque corporibus

bus producit lumen, Vnde per educationem non solum agens agit effectum, sed subiectum, in quo illum agit, recipit, seu patitur illum; quo iure passum dicitur. Atque adeo educatio duplicem in se actum inuoluit; alium, quo agens agit in passum effectum, & dicitur actio; alium, quo passum recipit, seu patitur ab agente eundem effectum, & dicitur passio.

64 Suppono quarto ex sententiâ communi, actionem educationem, & passivam idem omnino esse realiter; tamen per rationem nostram inter se distinguantur. Per eandem enim realitatem, quâ agens agit in passum effectum, fit ab agente effectus in passum, ut constat: fieri autem ab agente effectum in passum, & recipi effectum in passum, idem omnino est. At recipi effectum in passum, passumque effectum in se recipere, similiter est idem, ut etiam constat. Ergo de primo ad vltimum, agens effectum agere in passum, & passum effectum in se ab agente recipere, eadem realitas est. Actioque subinde educatiua, & passio realiter idem omnino sunt.

65 Suppono quinto, actionem educationem aliam esse transeuntem; aliam immanentem. Transiens dicitur, quâ recipitur in subiecto diverso ab agente, ut, quâ ignis producit in ligno calorem, immanens verò, quâ in ipso agente recipitur, ut, quâ intellectus in se producit intellectionem.

66 Suppono sexto, actionem aliam esse primò productionem; quâ scilicet effectus in primo instanti, quo exillere incipit, accipit spum esse ab agente; aliam conseruationem; mediâ quâ pro toto tempore subsequente post primum instans effectus ab agente conseruatur. Sæpe autem euenit, in actio primò productiua, & conseruatiua sint ab eodem agente: sæpe etiam, ut sint à duobus, uti cunctis est notum.

67 Suppono septimò, Arist. lib. 3. Physic. tres definitiones motus exhibuisse. Primam cap. 2. text. 6. nempe, *Motus est actus eius, quod in potestate est, quatenus tale est.* Sive ut vulgò effertur, *Motus est actus entis in potentia, prout in potentia.* Secundam text. 16. in hunc modum, *Motus est actus eius rei, quâ vim habet, ut moueatur, quatenus eam vim habet.* Vulgò, *Motus est actus mobilis prout mobile est.* Tertiam cap. 3. text. 23. huiusmodi. *Motus est actus eius, quod agere, & pati potest, quatenus tale est.* Sive, ut quidam profertur, *Motus est actus actiui, & passiu, quâ actiuum, & passiuum est.* In quibus definitionibus exponendis ea est expositorum varietas, ut nihil fixum de motus quiditate habeamus. Alij enim, ut Auerroes, Albert. Simplic. apud Conimb. ibi quæst. 1. art. 1. non in actione, & passione, sed in earum termino ponunt essentiam motus. Cum tamen communis opinio, quam tenent Conimb. ibid. Soar. disp. 49. Meth. sect. 2. & alij in viâ ad talem terminum illam ponant. Quâ via secundum quosdam est sola passio. Secundum alios etiam actio. Nec de sunt, qui ab essentia motus passionem, & actionem excludunt, contenti solâ vnione ad formam productam. Ita enim censet Arriag. disp. 12. Phys. sect. 1. & Carlet. disp. 2. Phys. sect. 9. Deinde multi, ut Conimb. quæst. 2. & alij postulant ad quiditatem motus, quòd sit successiuus. Et inter hos quidam insuper petunt continuitatem; quidam excludunt. Alij nec successionem exigunt; sed motum tum successiuum, tum instantaneum adstruunt. Denique plures ad quantitatem, qualitatem, & ubi dumtaxat, cen-

sent, dari motum. Alij ad substantiam itidem, ad aliaque prædicamenta. Quâ opinionum varietas ex non clarè proposita definitione motus, uti deberet, exorta est. Clarè quippe sunt describendi principio termini, quorum suscipitur tractatio. Neccirca terminorum definitiones, quæ principia scientiarum sunt, controuertendum vnquam est: quia omnis controuersia de definitione de solo nomine, sive de modo loquendi est; in quo non est hærendum.

Quo circa ego, qui ab huiusmodi quæstionibus vehementer abhorreo, omittens Aristotelicas definitiones, communique, & trito modo concipiendi, atque loquendi adhærens; moueri id dico vniuersè, quòd aliter modò, ac immediatè antea, se habet intrinsecè. Atque ita motum in vniuersum appello cum actum quo vnquamquodque intrinsecè alteratur, sumpto alterari pro aliter, quam antea, se habere. Notando interim, motum ita vniuersè usurpatum mutationem, etiam vocari. Itaque motus generatim sumptus, sive mutatio est actus, quo alteratur subiectum intrinsecè. Per particulam actus conuenit motus, sive mutatio cum cæteris actibus, quibus subiecta quæque exercentur quavis ratione, iuxta doctrinam vniuersalem actuum statutam in Pharo Scient. disp. 8. Per particulam alteratur differt motus, sive mutatio ab actibus, quibus ita exercentur subiecta, ut non aliter, quam antea, se habeant. Per particulam denique intrinsecè differt motus, sive mutatio imprimis ab actibus extrinsecis, & semiextrinsecis, quales sunt actus, quibus ego dicor coexistere Ioanni, assimilari Petro, & quibus Deus dicitur coexistere creaturis, eis dominari, &c. Per hos enim actus, etiam aliter, quam antea, se habeat subiectum extrinsecè, aut semiextrinsecè, non tamen dicitur moueri, neque mutari. Differt etiam, motus sive mutatio per eandem particulam ab actibus, qui licet immediatè tangant subiectum; in ipso tamen non inhaerent, neque ipsi attribunt, aut detrahunt vel complementum aliquod, quo compleatur in suo esse, vel ipsum esse: nullatenusque propterea subiectum ipsum dicuntur intrinsecè alterare. Tales sunt actus, quibus Deus dicitur producere creaturam, & suspendere conseruationem eius; & actus, quo Verbum diuinum humanitati Christi domini vnitur. Et si enim Deus aliquomodo aliter, quam antea, se habeat per huiusmodi actus, per eos nihilominus neque mouetur, neque mutatur: quia per eos non alteratur intrinsecè, aut recipiendo in se quidpiam, aut accipiendo complementum sui esse, vel ipsum esse.

Ex datâ autem definitione colligitur, per omnem motum, seu mutationem necessariò transire mobile, seu mutabile ab vno extremo ad aliud: hoc enim ipsum est aliter se habere nunc, ac se habebat antea. Quæ duo extrema termini motus appellantur; alterum terminus à quo; alterum terminus ad quem. Vnde motus, sive mutatio transitus quidam est subiecti, quod mouetur; sive mutatur, ab vno ad alium terminum; hoc est, à termino à quo ad terminum ad quem. Quocirca motus respectum dicitur ex suo conceptu ad vtrumque terminum; cum hoc tamen discrimine, quòd actus, in quo directè consistit motus, intrinsecè respicit terminum ad quem, atque adeo essentialiter: quia suapte essentia est actus, quo subiectum exercetur circa talem terminum. Terminum verò à quo extrinsecè; atque adeo accidentaliter respicit: quia pote-

poterat idem actus subsistere, quin terminus à quo processisset. Quo fit, ut in conceptu reali motus non possit non terminus à quo intrinsecè inuolui ex connotato iuxta doctrinam vniuersalem denominationum datam in Pharo Scient. disput. 8. & 9. saepeque alibi.

70 Secundo colligitur, triplicem imprimis debere distingui mutationem generatim sumptam: actiuam scilicet, passiuam, & formalem. Mutatio actiua est actio, qua agens mutat, siue transire facit subiectum à termino à quo ad terminum ad quem, producendo in eo terminum, ad quem in eà temporis mensurà, qua primo incipit desse terminus à quo. Mutatio uero passiuà est passio, qua subiectum passiuè transit à termino à quo ad terminum ad quem, recipiendo ab agente terminum ad quem in eadem dictà mensurà. Formalis denique mutatio dicenda est unio, qua subiectum informatur termino ad quem. Quod autem etiam per huiusmodi unionem subiectum eius propriè dicatur mutari, etiam si passio desit, constat: quia, si Deus produceret in me per creationem aut qualitatem, aut præsentiam localem, ut est possibile, uerè moueri, & mutari diceret citra omnem passionem. De facto etiam materia prima mutatur de non informatà ad informatam per animam rationalem: quam tamen per passionem in se non recipit. In motu item augmentationis, qui iuxta Aristotelem, & omnes propriissimus est, uiuens, quod mouetur à minori ad maiorem quantitatem, non est subiectum passiuum illius additamenti, ad quod mouetur, sed tantum unibile cum illo. Ex quibus patet, motum, seu mutationem non semper cum passione, aut actione identificari realiter, ut quidam uolunt.

71 Tertiò colligitur, motum, seu mutationem penes diuersitatem terminorum à quo, & ad quem quadruplicem esse. Vel enim mouetur subiectum à positiuo in positiuum, ut à frigidum in calidum. Vel mouetur à positiuo in negatiuum, ut à frigidum in non frigidum. Vel à negatiuum in positiuum, ut à non calidum in calidum. Vel denique à negatiuum in negatiuum, ut à non frigidum in non calidum. (Quidquid Aristot. lib. 5. Physic. cap. 1. hoc quartum membrum diuisionis absque idoneà causà reiecerit).

72 Quarto colligitur, motum, seu mutationem non solum dari ad quantitatem, qualitatem, & ubi; sed etiam ad alia prædicamenta, quando hæc intrinsecum aliquid aliquo ex dictis modis appingunt subiecto mobili, seu mutabili. Itaque datur motus ad substantiam, ut in generatione, qua mutatur materia prima à non informatà ad informatam substantialiter, siue ab uà formà substantiali ad aliam; & in nutritione, qua mutatur uiuens à minori ad maiorem substantiam, sumptà substantià prout, condistinguitur à quantitate speciali. Datur etiam motus ad relationem, quando hæc est intrinsecus subiecto, ut est intellectus intellectui, & plerumque unio extremo unio, amor uoluntati, & alij huiusmodi actus, qui relationes quædam intrinsecæ sunt iuxta doctrinam statutam etiam in Pharo Scient. disput. 14. quæst. 1. Datur etiam motus ad situm, quo pacto situs ab ubi discriminetur, &c.

73 Quintò colligitur, motum ad terminum positiuum quoad directum eius significatum, quod uel actio, uel passio, uel unio est iuxta dicta, semper distingui realiter à termino à quo, ut po-

te qui iam non existit, quando existunt actio, passio, uel unio. A termino uero ad quem, etiam plerumque saltem realiter distinguatur de facto; possibile tamen est, ut non distinguatur, quatenus possibile est, ut actio, & passio à suo termino, & unio à suo extremo realiter non distinguantur, sed tantum per rationem. A subiecto tamen, quod mouetur, nequit non distingui motus, etiam quoad dictum directum sui significatum, realiter: quia nequit subiectum per id, quod secum idem realiter est, alter se habere modò, quam antea se habebat realiter. Pariterque est philosophandum, suà seruata proportionem, de motu ad terminum negatiuum.

Hæc tamen dicta sunt de motu, seu mutatione propriè dictà, qua subiectum idem persistens intra statum existentialem ab uno extremo ad aliud transit successu temporis, acquirendo scilicet, aut amittendo aliquid à suà entitate distinctum, sibi que inhæsitum per passionem, seu receptionem, uel sui completiuum per unionem, at uel ita intrinsecum sibi uno, aut altero titulo, iuxta dicta. Tunc enim subiectum propriè moueri, siue mutari dicitur, quando recipit in se per passionem id, quod immediatè ante in se receptum non habebat; aut amittit per negationem passionis id, quod immediatè ante habebat receptum in se; uel quando acquirit per unionem aliquod complementum sui, quo immediatè ante carebat, aut illud per negationem unionis habitæ immediatè ante deperdit. Tunc autem id, quod subiecto unitur, ipsius complementum censetur, quando subiectum suà naturà quid incompletum est, & partiale, ordinatum que ad componendum simul cum altero extremo, cui unitur, aliquod totum: ut est ordinata materia ad componendum simul cum formà totum essentialia, & quæuis pars integralis ad componendum simul cum altera parte totum integrale, & quæuis integra substantia ad componendum superpositum simul cum subsistentià. Defectu cuius incompletionis uerbum diuinum, dum hypostaticè fuit unitum humanitati, neque alteratum intrinsecè, neque mutatum fuisse dici potuit. Ut bene explicat Cardin. de Lugo tom. de Incarnat. disput. 11. sect. 7. Hæc, inquam, & præcedentia de mutatione sunt dicta propriè sic nancupata.

Datur tamen mutatio insuper impropriè, aut minus propriè dicta, qua dicitur ens transire de non esse ad esse, cum primùm existentiam accipit à suis causis, quam prius tempore non habebat, aut qua dicitur ens transire de esse ad non esse, cum primùm per sui corruptionem existere desinit, cum primùm uel existentiam amittit, quam prius tempore habebat. Hic enim transitus entis de non esse ad esse, aut de esse ad non esse, siue de non existente ad existens, aut de existente ad non existens quædam talis entis transmutatio, siue mutatio est.

Addit Gallius lib. 2. de Deo tract. 8. cap. 1. tertiam mutationis acceptionem impropriissimam, qua creatura producta à Deo ab æterno ætæternus diceretur mutari, quatenus de potentià logicà, siue possibilitate existendi quodammodò ad existentiam ipsam ab æterno transiret. Hæc tamen mutationis acceptio admittenda non est. Tum quia absque transitu ab uno tempore ad aliud neuiquam dici potest quidpiam mutari iuxta communem usum. Tum quia transitus à potentià ad actum existendi, cum sit inter extrema realiter identificata, nullatenus potest

potest esse realis, sed vt summum rationis; modo autem dumtaxat agimus demutationibus realibus, quibus transitur ab vno extremo ad aliud re ipsa distinctum. Tum denique quia pariter dici potest Deus transire re ipsa à quavis suarum potentiarum ad actum, vt à potentia existendi ad existentiam, à potentia intelligendi ad intelligentiam, à potentia amandi ad amorem, &c. atque ita, multifariam re ipsa mutari. Quod est absurdum.

77 Ster itaque omnes motus, seu mutationes ad duo genera reuocari. Alterum proprium, quo subiectum existens successu temporis transit ab vno extremo à se realiter distincto ad aliud à se etiam distinctum realiter, qua ratione explicatum est. Alterum minus proprium, quo subiectum successu etiam temporis transit à non existente ad existens, aut ab existente ad non existens. Omisso autem modo genere motus seu mutationis minus proprio, de altero supersunt adhuc nonnulla ad notanda.

78 Et primum determinandum superest, quinam motus strictus, & quinam non strictus, sed laxus dicendus sit. In quo itidem non est exigua varietas opinionum. Arbitror iuxta communio-rem loquendi modum, motum successiuum secundum tempus debere dici motum strictum; & laxum motum instantaneum; qui speciali etiam ratione, retento nomine generis, mutatio appellatur. Super quo non est altercandum. Dico autem motum successiuum eum, qui ex partibus extensionis temporalis, siue successiuè fluentibus compositus est, vt motus calefactionis, motus localis, & alij huiusmodi. Instantaneum autem motum nuncupo eum, qui caret partibus extensionis temporalis, vt motus illuminationis, motus generationis hominis, & similes. Tamen omnis motus quantumuis instantaneus non possit non in suo adæquato conceptu eam successiuam inuoluere, quam secum fert transitus subiecti mobilis à tempore antecedente, in quo existerat sub termino à quo, ad tempus immediatè subsequens, in quo acquirit terminum ad quem.

79 Deinde verò motum generatim acceptum nonnullis alijs diuisionibus oportet præterea diuidere. Imprimis enim alius est motus indiuisibilis physicè, vt pote qui simplex, ex nullisque partibus physicè compositus est. Alius est physicè diuisibilis, atque adeò ex aliquibus partibus compositus physicè.

80 Deinde motus diuisibilis, siue compositus alius est talis quoad intensionem, cuius partes omnes sunt intra omnes, atque adeò inter se penetratè relatè ad tertium, in quo esse dicuntur. Alius est talis quoad extensionem, cuius partes omnes sunt extra omnes, atque adeò nullam penetrationem habent relatè ad tertium, in quo esse dicuntur. Quoniam autem tertium, in quo motus dicitur esse triplex est: subiectum; locus, siue spatium locale; & tempus; trifariam motus compositus, atque adeò diuisibilis esse potest tam quoad intensionem, quam quoad extensionem; subiectiuè videlicet; localiter; & temporaliter. Habebit itaque motus intensionem subiectiuam, quando omnes eius partes sunt simul in eodem subiecto. Habebit localem, quando omnes sunt simul in eodem loco. Habebit denique temporalem, quando omnes sunt simul in eodem tempore. Similiter erit motus extensus subiectiuè, quando omnes partes eius

in totidem sunt distinctis subiectis, seu partibus subiecti. Erit extensus localiter, quando singulae partes eius in singulis partibus sunt spatij localis. Erit denique extensus temporaliter, quando singulae partes eius totidem partibus temporis correspondent. Et iste dicitur successiuus; quia omnes partes temporis sunt successiuæ.

Præterea ex omnium horum terminorum, 81 mixtione, omni combinatione facta, multæ aliæ diuisiones motus compositi, seu diuisibilis resultant. Potest quippe motus esse intensus subiectiuè, & extensus temporaliter; qualis de facto est motus calefactionis eiusdem subiecti. Potest è contra esse extensus subiectiuè, & temporaliter intensus; qualis de facto est motus illuminationis subiecti extensi. Potest esse simul extensus localiter, & temporaliter; qualis de facto est motus localis. Ac demum pene omnes reliquas combinationes possibiles, saltem supernaturaliter, subire potest; vt apparebit consideranti, & recognoscenti omnes illas penes regulas combinandi, quas dedimus in Pharo Scient. disput. 29.

Denique motus extensus seu subiectiuè, 82 seu localiter, seu temporaliter duplex est. Alius continuus, cuius partes continuatam quamdam seriem componunt absque vlla intercapedine, siue intervallo similibus partibus vacuo. Alius discretus, cuius partes seriem componunt interruptam aliquo, aut aliquibus intervalis vacuis eiusdem motus partibus. Vnde motus extensus continuus alius subiectiuè, alius localiter, alius temporaliter continuus est. Similiterque motus extensus discretus alius subiectiuè, alius localiter, alius temporaliter est discretus. Motus verò quavis ratione intensus continuus semper in suo genere dici potest; quia inter partes intensionis quæ tales nulla potest intercapedo similibus partibus vacua interponi.

Postremo motus alij sunt inter se oppositi, 83 alij non item. Oppositi, vt calefactio, & frictio; latio sursum, & deorsum; accretio, & diminutio; & similes. Non oppositi vt latio, & calefactio; accretio, & frigefactio; calefactio, & dealbatio; & alij huiusmodi. Tum alij sunt motus directi, qui à motore directè tendunt, vt illuminatio à luminoso, latio pilæ à projiciente. Alij sunt motus reflexi, qui ab obstitente reflectuntur, vt illuminatio ab speculo, latio pilæ à pariete obstante. Demum motus alij inter se connexi, alij non connexi esse possunt. Aliasque aliorum eorum diuisiones possunt subire. Vt consideranti erit notum.

Iam subiectum aliud per se, aliud per acci- 84 dens moueri dicitur. Moueri dicitur per se, quod est proprium subiectum motus, & ex directà siue primariâ motoris intentione mouetur. Sic Petrus motu progressiuo per se mouetur ad locum, quo intendit accedere. Per accidens verò moueri dicitur, quod non est proprium subiectum motus, sed aliquid, quod ad illud aliquam habet habitudinem, ob scique extrinsecè à motu ipsius subiecti denominatur motum. Vel, si est proprium subiectum motus, præter intentionem tamen directam motoris mouetur. Hoc secundo modo mouetur per accidens vestis Petri, calor, aut frigus eius, aliasque huiusmodi accidentia, cum Petrus ad destinatum locum per se mouetur. Vestis enim, & accidentia Petri

Petri proprijs motibus mouentur in tali casu iuxta dicenda infra quæst. 7. sed præter intentionem Petri directam. Quo etiam pacto impulsus per se impellens currum, aut nauem per accidens mouere dicitur ea, quæ sunt intra currum, aut intra nauem; à quo subinde currus, & nauis per se, quæ verò in eis continentur, per accidens moueri dicuntur. Primò autem illo modo dicitur moueri per accidens motu calefactionis musicus, cum calefit Petrus, qui est musicus. Musica enim Petri, siue Petrus reduplicatiue vt musicus nullius motus calefactionis subiectum est; per denominationem tamen extrinsecam à calefactione desumptam, cuius subiecti musica est accidens, moueri seu calefieri musicus dicitur. Hac etiam ratione dicitur Petrus sanari, quando digitus pars eius sanatur, quod est extrinsecè denominari eum motum à motu sui digiti. Pariterque infimilibus.

85 His ita hæcenus stabilitis, atque suppositis, iam facile est diiudicare, quid sit, & quotuplex motus localis, qui motus etiam lationis, seu latio dicitur, prout nobis erat propositum in præfati quæst. Est quippe, vt ex definitione motus in genere datà colligitur, actus quo alteratur subiectum quoad præsentiam localem. Quæ definitio eandem, atque illa, subit explicationem, suâ proportione seruata. Recolatur.

86 Motus autem localis ita vniuersaliter sumptus eandem patitur diuisiones, quas motus in genere iam expositas, quasque subinde vnusquisque poterit illi applicare, ne actum agamus. Hoc vnum aduerto, nomine motus localis vt plurimum eum duntaxat venire vulgò intelligendum, quo citra miraculum videmus corpora moueri. Hic autem semper est motus extensus, & continuus localiter; tum semper, saltem sensibilibus, est etiam extensus, atque continuus temporaliter tum semper est à positum in posituum. Quo circa id solum dici vulgò solet moueri localiter, quod per præsentiam mutationem ex vno loco transit ad alium, amittendo præsentiam in priori, & acquirendo præsentiam in posteriori. Hoc tamen non tollit, id etiam dictum iri localiter motum iuxta definitionem datam, quod, non amissa priori præsentia diuinitus in alio loco acquiret alteram: transiret namque à non præsentem ad præsentem in eo loco. Tum quod, nullà præsentiam acquisitã, quam alicubi habebat amitteret: transiret enim à præsentem ad non præsentem in eo loco. Tum cætera huiusmodi, quæ definitio data complectitur. Quamquam enim non omnes species motus localis in eã contentæ vsu veniant in corporibus connaturaliter, in spiritibus tamen fortasse vsu veniunt iuxta dicenda postea; diuinitusque sunt forsan possibiles; & ideo vnà debent, prout scientia postulat, definitione comprehendere. Cæterum, vt & vulgari apprehensioni morem geramus, speciali definitione adiectã de motu connaturali rerum dicamus insuper. *Motus localis est transitus ex vno loco ad alium per amissionem præsentiam in vno, & acquisitionem in alio.*

87 Potest præterea motus localis diuidi in descriptiuum, circumscriptiuum, & contractiuum; insuperque in alia membra subdiuidi penes diuersitatem præsentiarum, quæ adquirentur, aut amittuntur per illum quæstione præcedente traditam.

88 Diuiditur insuper motus localis in rectum, flexuosum, spiralem, & circularem iuxta diuer-

sas lineas spatij localis, quas mobile suo motu potest describere. Atque hæc modò satis. Alia enim in sequentibus attingam.

QVÆSTIO VI.

Quenam propositiones evidentes, aut alias certa seu per se nota, seu demonstrata ex terminis huius disputationis in superioribus expositis eliciantur collatis tum inter se, tum cum alijs expositis in Pharo Scient.

PROsequens methodum, quam cœpi in Pharo 89 Scient. in singulis disputationibus metaphysicis huius Operis, (quemadmodum & in singulis illius præfati), quæstionem proponam congerentem propositiones aliquot evidentes seu per se notas, seu demonstratas (vnà cum certis secundum fidem, si quæ occurrerint) compositas ex terminis vnus cuiusque disputationis collatis tum inter se, tum cum alijs expositis aut in disputationibus anterioribus, aut in Pharo Scient. Arbitror enim, laborem hunc & gratum, & vtilem fore scientificis, vt pote præbentem eis aliquam normam demonstrandi, siue scientiam demonstratiuam texendi in Metaphysicis similem illi, quæ obseruatur in Mathematicis; aliquodque initium, vnde inchoantes Metaphysicam demonstratiuam possint componere, & in dies paulatim augere; vt Mathematicam demonstratiuam principio inchoatæ, deinceps paulatim composita, & in dies aucta sunt. Quod sanè maximi momenti, eximijque emolumentum fore omnibus scientijs humanis, quæ vni Metaphysicæ vniuersaliori, seu Primæ Philosophiæ sub alternantur, haud dubitabile est. Igitur istius est generis quæstio præfata. Cui responderetur, propositiones, quas inquit, sequentes esse.

Propositio 1.

Locus omnino est immobilis motu locali. 90

Ita supponunt vnanimiter omnes Philosophi. Nam alioquin posset locatum localiter prorsus immotum mutare locum; aut, non mutando locum, moueri localiter. Quod vtrumque est absurdum. Cum idem ipsum sit locum mutare, & moueri localiter. Sumimus namque hic, sicut & in sequentibus propositionibus, motum localem pro transitu ex vno loco ad alium per amissionem præsentiam in vno, & acquisitionem in alio.

Propositio 2.

Vbiatio, seu præsentia localis immobilis etiam est localiter ab eo spatio locali, cui per se correspondet. 91

Hoc itidem omnes Philosophi vnanimi consensu fatentur, quodcumque demum illud sit, in quo consistere, dicunt, præsentiam localem. Quoniam præsentia localis, in quocumque eã dicatur consistere, ita in spatio locali, seu potius in gradu locali, cui per se correspondet, suapte

Q 2 essen.

essentia fixa est, ut nullatenus possit inde alio transferri, ut constat. Dico, cui per se correspondet. Quia si per aliam presentiam sibi accessoriam possit presentia localis alibi presentis fieri, (de quo agendum inferius), ex eo spatio sibi accidentario in aliud pariter accidentarium bene poterit moveri localiter, ut etiam constat.

Propositio 3.

92 Spatium item locale localiter est prorsus immobile.

Sic etiam Philosophi omnes, quidquid putauerint, esse constitutum eius. Et apud nos est manifestum. Nam spatium locale reipsa nihil est aliud a presentia possibili, prout est immobilis localiter. Quo circa etiam, pro ut a nobis concipitur, quid prorsus fixum, & immobile est. Neque possit aliter conceptum idonea nobis mensura esse, vti reuera est, omnium mobilium, & immobilium.

Propositio 4.

93 Presentia, & res presentis per illam, necessario sunt simul in eodem spatio locali.

Est clarum. Quia presentia non in alio spatio, vbi ipsa non est, sed in eo, vbi ipsa est, facit presentem rem, cuius est presentia. Vt enim actio se ipsa nascitur ab ea causa, a qua media ipsa nascitur effectus, cuius actio est; & vnio vnus extremi cum altero se ipsa vnitur ei extremo, cui media ipsa vnitur alterum; & duratio se ipsa durat in eodem tempore, in quo media ipsa durat res, cuius est duratio. Neque aliud possibile est. Ita presentia se ipsa est presentis in eo spatio, in quo media ipsa est presentis res, cuius est presentia. Neque aliud possibile est. Hoc namque postulat essentialiter natura presentia: sicut illud natura actionis, unionis, & durationis, ut est potissimum.

94 Vnde duo imprimis sequuntur. Primum est. Presentiam quamlibet non posse non esse in eodem spatio, in quo res, cuius est presentia, est presentis per illam: tamen possit non esse in alijs spatijs, vbi est eadem res presentis per alias presentias. Secundum est. Rem quamlibet non posse non esse presentem in eodem spatio, in quo est quavis presentia sua qua sua, id est qua faciens formaliter ipsam presentem. (Quod addo propter eos, qui censent presentiam rem esse, posseque proinde dari nulli subiecto vnitam, atque ita nullum subiectum facientem presentem.)

95 Deinde sequitur, presentiam, & rem presentem per illam non posse non esse localiter penetratas tum inter se, tum cum spatio locali, cui correspondent: quia, quae in eodem spatio locali locata, siue presentia simul sunt, ea dicimus penetrata localiter tum inter se, tum cum ipso spatio.

96 Praeterea sequitur, presentiam, & rem presentem per illam non posse non esse adaequate penetratas localiter. Nam tunc duo quaequam dicuntur adaequate penetrata localiter, quando nulla pars alterius extra alterius spatium est; inadaequate vero, quando aliqua pars alterius intra, & aliqua extra alterius spatium est. Constat autem ex dictis, nullam partem rei presentis posse

esse extra integrum spatium suae presentiae, nec vice versa.

Vnde denique sequitur, presentiam, & rem presentem per illam localiter mutuo sibi congruere, siue adaequari. Quia ea dicimus localiter mutuo sibi congruere, siue adaequari, quae adaequate sunt penetrata localiter.

Propositio 5.

97 Quaecunque eidem spatio locali congruunt, siue adaequantur localiter, & inter se quoque congruunt, siue adaequantur localiter.

Quia eo ipso, quod congruunt eidem spatio, siue adaequate penetrantur cum illo, non possunt non & inter se localiter penetrari adaequate. Quod ipsam est, vicissim sibi mutuo congruere, siue adaequari localiter, ut constat ex dictis in praecedentibus.

Propositio 6.

98 Quoties duo aliqua, vel plura cum nullo spatio locali possunt penetrari adaequate, nulli ve adaequari, siue mutuo congruere, neque inter se localiter penetrari adaequate, neque mutuo sibi adaequari, siue congruere possunt.

Est clarum. Quia localiter penetrari adaequate duo quaequam, subinde sibi quoque adaequari, siue congruere localiter, nihil est aliud, quam locari ambo adaequate in eodem omnino spatio locali. Quod ipsum est etiam, penetrari ambo adaequate cum tali spatio, eidemque adaequari, & congruere, ut constat ex dictis in praecedentibus. Repugnat ergo, ut sine hoc secundo detur illud primum, aut e contra.

Propositio 7.

99 Res indiuisibilis per sui localem replicationem, siue repetitionem adaequate penetrabilis est cum qualibet re diuisibili quoad extensionem in spatio extenso locali; & consequenter etiam cum ipso spatio.

Hae propositio, praeterquam quod ex terminis ipsis videtur evidens, certa secundum fidem est. Per quam constat primo, Deum indiuisibilem cum omni ente quoad extensionem diuisibilem in spatio locali extenso penetrari adaequate. Tamen Deus insuper in omni spatio vacuo sit presentis, ut infra suo loco dicemus. Secundo, animam rationalem indiuisibilem cum suo corpore diuisibili, & animam Christi domini in Eucharistia cum speciebus insuper panis, & vini in spatio locali extenso penetrari adaequate. Tercio, Angelum indiuisibilem saepe cum corporibus, aut alijs etiam entibus diuisibilibus quoad extensionem in spatio extenso locali penetrari adaequate, &c. Idemque est de qualibet re indiuisibili quoad extensionem; tamen sit diuisibilis quoad intensionem.

Dicitur autem res indiuisibilis per sui localem replicationem, siue repetitionem poni in spa-

spatio extenso siue illud occupare, aut replere, & consequenter cum re diuisibili quoad extensionem in eodem spatio posita, cum ipsoque spatio penetrari adæquatè, quando tota in toto spatio, & tota in singulis partibus spatij est. Vnde, esse aliquid replicatum, siue repetitum localiter in spatio extenso, nihil est aliud, quàm esse totum illud præsens simul in omnibus, & singulis partibus spatij.

Propositio 8.

102 Res diuisibilis quoad extensionem, cum re diuisibili etiam quoad extensionem est penetrabilis adæquatè in spatio extenso locali; & consequenter etiam cum ipso spatio, tum per suarum partium localem distributionem, tum item per sui totius localem replicationem, siue repetitionem.

Prior pars huius propositionis vel ipsa experientia est cunctis conspicua in omnibus rebus corporæis, quæ cum multis suorum accidentium in eodem spatio locali extenso cernuntur penetratæ adæquatè, vt cum calore, frigore, odore, colore, lumine, præsentia, &c. Secunda vero pars, præter quàm quòd satis ex terminis videtur euidens, certa secundùm fidem est ex mysterio Eucharistiæ. Vbi Christus dominus cum speciebus sacramentalibus creditur penetratus adæquatè in spatio locali extenso per sui totius præsentialem replicationem. Cùm credatur esse totus in toto, & totus in singulis partibus talis spatij, & talium specierum.

Propositio 9.

103 Res siue indiuisibilis, siue diuisibilis cum re siue indiuisibili, siue diuisibili per localem contractionem ambarum potest in spatio locali in extenso penetrari adæquatè; atque adeò etiam cum ipso spatio.

Est prorsus certum. Quia Angelus in quouis spatio indiuisibili, cui præsens est, penetratur adæquatè cum Deo. Et anima rationalis cum quouis puncto sui corporis est adæquatè penetrata in spatio indiuisibili: tum cum omnibus partibus intentionis accidentium existentium in tali puncto, vt coloris, lucis, odoris, saporis, &c. & accidentia ita inter se. Tum totus Christus in Eucharistiâ cum quouis indiuisibili puncto specierum sacramentalium, est penetratus adæquatè in puncto spatij indiuisibili. Vniuersaliter enim quæcunque in spatio indiuisibili quoad extensionem simul ponuntur, ea per sui localem contractionem dicimus in eo poni, atque adeò inter se, & cum ipso spatio penetrari; siue ea in se sint indiuisibilia, siue diuisibilia.

Propositio 10.

104 Extensio rei locatæ in spatio locali

extenso alia est extensio per partium rei localem distributionem; alia per totius rei localem replicationem, siue repetitionem.

Primaque fit, cùm singulæ partes rei locatæ in singulis partibus spatij ipsis æqualibus ponuntur per distributionem accommodam. Secunda vero, cùm tota res locata integrè ponitur in omnibus, & singulis partibus spatij. Vnde ad primam requiritur, quòd res locata ex tot omnino partibus composita sit, ac est compositum spatium, cui adæquatè, seu congruit. Ad secundam verò solum requiritur, quòd tota res locata in singulis omnino partibus spatij ponatur, siue ea diuisibilis, siue indiuisibilis sit. Nomine autem partis semper intelligimus id, quod quoquo modo simul cum alio quopiam, vel alijs componit, siue constituit totum.

Propositio 11.

105 Contractio rei locatæ in spatio inextenso, siue indiuisibili quoad extensionem alia est rei in se etiam in diuisibilis, alia rei in se diuisibilis, atque adeò compositæ ex partibus.

Constat ex dictis, & ex se. Nec maiore eget explicatione.

Propositio 12.

106 Extensio localis rei locatæ in spatio locali extenso; contractioque localis rei locatæ in spatio locali inextenso aut essentialis, seu necessaria, aut accidentalis seu contingens ipsi rei locatæ esse potest.

Erit quippe essentialis, seu necessaria, si talis res se ipsa in tali spatio locata sit; vt sunt omnes vbcationes, siue præsentia in proprijs spatijs. Accidentaliter verò, seu contingens erit, si res locata per præsentiam à se distinctam, & sibi contingentem locata sit; vt sunt omnes res indifferentes ad essendum, & non essendum in spatio, in quo sunt; vt constat.

Propositio 13.

107 Quæ sunt distantia localiter quatenus talia localiter penetrata non sunt. Et quæ localiter sunt penetrata prout talia localiter non sunt distantia.

Est clarum. Quia penetrata localiter prout talia in eodem sunt spatio locali. Distantia vero localiter prout talia in spatijs diuersis, ipsque ita inuicem seiunctis, vt inter illa aliquod aliud spatium locale sit interpositum; vt ex dictis in præcedentibus palam est. Constat autem quæ sunt in eodem spatio locali, vt sic in diuersis ita inter se seiunctis esse non posse. Nec vice versâ.

Propositio 14.

108 Quæ sunt localiter contingua quatenus

nus talia, neque penetrata, neque distantia localiter sunt. Sicut neque e converso.

Quia localiter contigua dicimus ea, quae sunt in distinctis spatijs ita immediatis, ut inter unum, & alterum nihil prorsus mediet, siue interponatur spatij; (idque siue sint illa inter se unita siue secus). Constat autem, quae in spatijs sunt ita immediatis, prout sic neque esse in eodem spatio, ut sunt penetrata; neque in diversis seiunctis, prout sunt distantia. Similiterque, nec vice versa.

Propositio 15.

199 Duo extrema aut adaequatè, aut inadaequatè possunt contigua esse localiter.

Erunt adaequatè contigua, si nulla sit pars spatij vnus, quae non sit immediata alicui parti spatij alterius. Inadaquatè verò, si aliqua pars spatij vnus nulli parti spatij alterius immediata sit. Indubitabile autem est, duo extrema vtrius ex dictis modis posse localiter se habere.

Propositio 16.

200 Duo extrema aut adaequatè, aut inadaequatè possunt distantia esse localiter.

Erunt adaequatè distantia, si nulla sit pars spatij vnus, quae non sit distans ab omni parte spatij alterius. Inadaquatè verò, si aliqua pars spatij vnus indistans sit ab aliqua parte spatij alterius. Indubitabile autem est, duo extrema vtrius ex dictis modis posse localiter se habere. Vnde colliges, duo extrema aut adaequatè, aut inadaequatè posse etiam esse penetrata localiter. Constat enim id manifestè ex hac, & precedenti propositione; atque etiam ex dictis proposit. 4.

Propositio 17.

211 Distantia adaequata localis magis, & minus potest suscipere. Secus penetratio, & contiguitas etiam adaequata localis.

Quia adaequatè distantium localiter aliqua magis, & aliqua minus sunt distantia inter se penes maius, aut minus spatium locale median, seu interpositum. Adaequatè verò penetratorum, & contiguum localiter necunde possunt alia dici magis penetrata, aut magis contigua, quam alia; ut ex se est notissimum.

Propositio 18.

212 Idem secum ipso penetratum localiter dici congruè non potest, quantumvis plures ybicationes eidem spatio correspondentibus habeat. Benè tamen dici potest idem sibi ipsi contiguum, aut à se ipso distans prout habens plures ybicationes

in spatijs distinctis contiguus, aut inter se distantibus.

Tota haec propositio ex ipsis terminis factis, superque euidentibus est.

Propositio 19.

Nullum mobile est affixum suapte essentia spatio locali, unde moueri potest.

Est clarum. Quia quod spatio locali affixum est, eo ipso ex tali spatio immobile est iuxta dicta proposit. 2.

Propositio 20.

214 Si ex duobus entibus localiter penetratis alterum moueatur localiter, aut etiam vtrumque, penetrationem, quam habebant, amitti ab illis necesse est. Siue acquirant aliam; siue secus. Nam, vtrumque est possibile. Tantumdemque venit dicendum, sua proportione seruatà, de duobus entibus aut contiguus, aut distantibus localiter.

Tota propositio certissima est, ac prorsus euidentibus. Quia, quoties quoduis ens per motum localem amittit spatium, praesentiamque, quam in illo habebat, eo ipso amittit eam penetrationem, distantiam, aut contiguitatem, quam habebat cum alio ente, utpote includentem in suo conceptu reali talem praesentiam, & spatium. Idque, siue alterum ens moueatur etiam, siue secus. Acquirent autem eiusmodi entia per motum aut vnus, aut amborum aliam penetrationem, aut contiguitatem, aut distantiam penes coniunctum praesentiarum, quod eis obuenerit correspondentium aut eidem spatio, aut spatijs contiguus, aut distantibus; ut est notissimum.

Propositio 21.

215 Quiescere omnino, siue simpliciter idem ens, & simul moueri, prorsus est impossibile. Quiescere verò in vno loco, & moueri in alijs, possibile est, supposito, quod possit esse in pluribus locis. De quo infra.

Prior pars propositionis constat. Quia, ens quiescere simpliciter, est omni illud motu carere. Carere autem omni motu, & simul moueri, atque adeo aliquem habere motum, contradictoria sunt. Posterior autem pars etiam constat. Quia, supposito, quod ens in pluribus locis esse possit, nihil vetat, quod persistens in vno ex altero ad tertium moueatur; ut est notissimum. Quo casu quiescens in primo ex secundo ad tertium mouebitur.

Propositio 22.

216 Contractio localis entis antea extensum; extensioque localis entis antea contractum

tum per motum localem strictum, de quo in hac quæstione agimus, tum absque tali motu effici potest.

Fiet namque per talem motum, si amissa præsentia vnâ, vel pluribus, quibus antea erat ens aut contractum, aut extensum localiter, acquirantur alia, vel alia, quibus reddatur illud aut extensum, aut contractum localiter: quod manifestè est possibile, siue ens diuisibile, siue indiuisibile sit. Ita namque strictus dabitur motus in huiusmodi ente ab vno spatio ad aliud. Id quod bifariam rursus fieri potest, quando ens diuisibile est. Si enim sit fermo de extensione eius per sui totius replicationem localem, iuxta dicta propos. 10. perinde mouebitur à contractione ad extensionem, aut ab extensione ad contractionem motu adæquato, atque ens indiuisibile. Si autem sit fermo de extensione eius per localem suarum partium distributionem iuxta dicta ibidem, transitus à contractione ad extensionem, aut ab extensione ad contractionem tum per adæquatum motum, omnium, videlicet partium ipsius, effici poterit, tum per inadæquatum aliquarum, non vero omnium; vt facillè conspicuum fiet consideranti. Iam verò absque motu stricto ens, siue indiuisibile, siue diuisibile sit, ex contracto fiet extensum per sui totius localem replicationem si, retenta præsentia in spatio indiuisibili, in quo erat contractum, in alijs spatijs acquirat alias præsentias similes. Ex extenso verò similiter contractum fiet, si cæteris præsentijs amissis, vnâ in spatio aliquo indiuisibili retineat. In his enim casibus non transiet ab vno spatio ad aliud per amissionem præsentia in illo, & acquisitionem in hoc, vt est notum; prout ad motum strictè sumptum requirebatur. Per quæ demonstrata manet integra proposio.

Propositio 23.

117 Impossibile est, vt res indiuisibilis in spatio locali extenso, seu diuisibili locetur citra localem replicationem, siue repetitionem sui.

Demonstro facillè. Quia res indiuisibilis non potest in spatio diuisibili præsens esse, nisi ipsa tota sit simul in singulis partibus spatij; necque enim vna pars eius in vnâ parte spatij, & alia in aliâ, &c. potest esse; cum nullas habeat partes. Sed, esse totam simul in singulis partibus spatij, est esse replicatam, siue repetitam localiter in tali spatio iuxta dicta propos. 7. Ergo, quàm impossibile est, esse rem indiuisibilem absque replicatione sui locali replicatam localiter in spatio locali extenso, tam impossibile est, esse eam collocatam in spatio locali extenso citra localem replicationem, siue repetitionem, sui.

118 Ex hac proposicione sequitur primò, Deum, vt pote substantiam indiuisibilem, non aliter esse, vbique ratione suæ immensitatis, quàm per replicationem, siue repetitionem sui localem in omnibus, & singulis partibus spatij localis, in quo est præsens.

119 Secundò sequitur, Angelum, & animam, rationalem, vt pote substantias indiuisibiles, non aliter posse collocari in spatio locali extenso, in

quo de facto collocantur, quàm per replicationem sui localem in omnibus, & singulis partibus talis spatij.

Propositio 24.

Quotiescunque res indiuisibilis absque 120 vllâ locali replicatione sui in aliquo spatio locali locata est, non potest non tale spatium indiuisibile esse.

Est clarum. Quia, si esset diuisibili iam res indiuisibilis in spatio locali diuisibili locaretur citra localem replicationem sui contra propos. 23.

Ex hac proposicione sequitur, spatium locale adæquatum rei indiuisibilis localiter non replicata dumtaxat posse esse punctum indiuisibile; pariterque præsentiam adæquatam eius vt sic indiuisibilem, siue inextensam esse debere. Itaque, si alicubi absque vllâ sui replicatione locetur Angelus, non potest non spatium locale eius inextensum penitus, siue indiuisibile esse, vt proposio data fert; qualia sunt sola spatij puncta; nec potest non esse inextensa prorsus præsentia, quæ ibi vnice locatur; nam si esset extensa, non ibi vnice, sed in spatio extenso locaret Angelum, iuxta propos. 4.

Propositio 25.

Vt res indiuisibilis spatium locale extensum repleat, aliquoties illam intra hoc locari, localiterve replicari, seu repeti, necesse est.

Quoniam nequit quidpiam replere spatium, nisi intra illud locetur, vt est notissimum ex se, & ex dictis, Sed non satis est semel locari absque vllâ sui locali replicatione, quando spatium est extensum, & res locata indiuisibilis, iuxta proposicionem 23. Ergo aliquoties ea locari debet, vt illud repleat, Quod erat demonstrandum.

Ex hac proposicione sequitur primò, non 123 posse quidpiam indiuisibile spatium extensum, replere absque interuentu alicuius multitudinis replicationum, seu repetitionum localium sui.

Secundò sequitur, quidquid per aliquam 124 multitudinem repetitionum localium sui spatium locale extensum replet, eo ipso esse mensuratum; quia mensura alicuius quantitatis, qualis est tale spatium, vt omnes Mathematici definiunt, iuxta infra disp. 10. dicenda, ea est, quæ aliquoties repetita mensurato adæquatur.

Vnde sequitur tertio, id, quod per aliquot 125 suas locales repetitiones replet spatium extensum, non posse non esse æquale alicui parti aliquotæ talis spatij. Pars enim aliquota iuxta omnes etiam Mathematicos est, quæ metitur totum, atque adeò, quæ aliquoties sumpta, seu repetita totum constituit. Necesse autem est vt æqualia fini inter se, quæ æquè multipliciter sumpta, seu repetita aut idem totum, aut æqualia constituunt, vt demonstratur à Goemetris; & satis per se est euident.

Vnde rursus sequitur quartò, sientitas A per 126 sui localem repetitionem repleat spatium extensum B, ipsi ve adæquetur, & congruat, non posse nonentitatem C per suarum partium aliquotarum loca-

localem distributionem idem spatium replere, ipsi vè adæquari, & congruere casu, quod qualibet talium partium aliquotarum æqualis sit entitati A, & multitudo earumdem partium aliquotarum entitatis C æqualis sit multitudini repetitionum localium entitatis A. Est clarum ex terminis ipsis. Sed declaratur amplius, ac demonstratur. Nam quoties eadem mensura æquè multipliciter repetita duo quæpiam tota metitur, non possunt non talia tota esse inter se æqualia, sibi que subinde mutuò congruere, & adæquari, vt demonstrant Geometras; satique ex terminis ipsis perspicuum est. Sed in casu posito entitas A mensura est, quæ aliquosies repetita metitur totum spatium B. vt supponitur, eademque æquè multipliciter repetita metitur entitatem C: siquidem, hæc tot partes habet æquales entitati A, quot sunt repetitiones eius circa spatium B, vt etiam supponitur. Igitur totum spatium B, & tota entitas C æqualia quædam tota sunt, quæ mutuò inter se congruunt, & adæquantur; atque adeò æquè potest spatium B per partes entitatis C localiter distributas repleri, ac per entitatem A toties repetitam, quot sunt illæ partes, repleri ponitur. Quod erat demonstrandum.

Propositio 26.

127 **Impossibile est, vt res indiuisibilis spatium locale extensum repleat per sui localem repetitionem, seu replicationem; nisi tale spatium sit compositum ex solis indiuisibilibus; non verò aut ex solis partibus sine fine diuisibilibus; aut ex vtrisque.**

Demonstratur primò. Quia res indiuisibilis semel tantum locata vnicum dumtaxat punctum spatij localis replere potest, vt constat ex propositione 24, ex ipsisque terminis est satis clarum. Ergo bis tantum locata duo tantum spatij puncta, & decies decem, & pluries plura replere poterit, & nihil amplius; siue huiusmodi pluralitas finita, siue infinita esse dicatur. Consequentia est euidentis; quia quod semel locata potest tantum semel præstare, nempe vnicum tantum punctum replere, decies locata decies tantum præstare poterit. nempe decem tantum puncta replere, & pluries locata pluries tantum præstare poterit, nempe plura puncta tantum replere, siue ea sint infinita, siue finita. Impossibile ergo est, eam aliquid amplius spatij replere, præter quàm totidem puncta, quot fuerint eius repetitiones locales. Et consequenter replere totum spatium, si hoc non ex solis punctis componatur. Quod erat probandum.

128 **Demonstratur secundò. Nam vel ex ipsis terminis videtur euidentis, supposito, quòd res indiuisibilis semel tantum locata vnico dumtaxat puncto spatij adæquari potest, non posse eam nisi solis punctis spatij adæquari, quantumuis infinities in spatio dicatur locari; euidentis enim haud dubie est, naturam vniuscuiusque simplicis locationis eius non variari ex eo, quòd sola, aut alijs comitata ponatur; (vt est euidentis, non variatam iri naturam locationis, quam ego modò habeo Romæ, ex eo, quòd Deus modò me per præsentiam aliam locaret Matriti). Ergo, si singulæ eius locationes solitarie positæ singulis tantum punctis spatij possent correspondere; euidentis haud**

dubie est, eisdem dumtaxat suapte naturà, & essentia correspondere posse, quantumuis coniunctæ ponantur. Nequit igitur res indiuisibilis plusquam indiuisibilia spatij replere, quantumuis in eo localiter replicetur; & consequenter neque replere totum spatium, nisi ex solis indiuisibilibus compositum sit; vt propositio nostra fert.

129 **Demonstratur tertio. Ponamus Angelum per multitudinem aliquam replicationem localem sui replere aliquod spatium extensum. Et arguo sic. Nulla omnino est huiusmodi replicationum, quæ per se seorsim quid amplius repleat, quàm vnicum punctum talis spatij; siquidem, si qualibet, subtilis reliquis, sola à Deo relinquere, nihil amplius repletet, iuxta propositionem 24. Ergo tot dumtaxat puncta talis spatij replet Angelus, quot sunt replicationes locales eius; & nihil amplius. Si enim singulæ replicationes distributiue sumptæ singula puncta dumtaxat, & nihil amplius replent; necesse est, vt integra replicationum collectio nihil amplius repleat, quàm integram collectionem totidem punctorum, vt est notissimum. Vnde per omnes replicationes, siue distributiue, siue collectiue eas sumas, nihil amplius, quàm omnia puncta siue distributiue, siue collectiue sumpta, replentur. Vel ergo tale spatium ex solis talibus punctis compositum est. Quod est nostrum intentum. Vel non repletur totum ab Angelo contra suppositionem factam. Quod est absurdum.**

130 **Demonstratur quarto. Quoniam, si res indiuisibilis A per aliquot replicationes locales sui potest replere spatium locale extensum B, necesse est, vt res diuisibilis C composita ex totidem partibus aliquoties æqualibus ipsi A, atque adeò purè indiuisibilibus ipsum quoque spatium per talium partium localem distributionem replere possit, vt constat ex consec. 4. proposit. 25. Sed est impossibile, vt res composita ex puris indiuisibilibus repleat aliquod spatium, eique subinde congruat, & adæquetur per suarum partium localem distributionem, nisi tale spatium ex puris etiam indiuisibilibus compositum sit, vt ex dictis, & ex ipsis terminis est manifestum. Ergo est impossibile, vt res indiuisibilis A per aliquot sui locales replicationes repleat spatium extensum B, aut quoduis aliud, nisi tale spatium, & quoduis aliud ex solis indiuisibilibus composita sit. Quod erat ostendendum.**

Propositio 27.

131 **Impossibile est, vt res diuisibilis citra localem sui contractionem in spatio inextenso, seu indiuisibili locetur.**

Est clarum. Nam, si omnes partes talis rei in tali spatio collocantur, iam ibi interuenit contractio localis ipsius rei iuxta dicta proposit. 9. Si verò non omnes, iam ibi non locatur res ipsa; quia res non est aliqua pars sui tantum, sed omnes, vt constat. Ergo.

132 **Ex hac propositione sequitur, nullam rem localiter extensam, hac retentà extensione, vllatenus posse spatio indiuisibili congruere, siue ei adæquari.**

Propositio 28.

133 Quotiescunque res diuisibilis absque locali sui contractione in aliquo spatio locali locata est, non potest non tale spatium diuisibile esse.

Quia si esset indiuisibile, iam res diuisibilis in spatio indiuisibili locaretur citra localem sui contractionem contra proposit. 27.

134 Ex hac propositione sequitur, spatium locale adæquatum rei diuisibilis non contractæ localiter non posse non esse diuisibile: pariterque præsentiam adæquatam eius diuisibilem, siue extensam esse debere.

Propositio 29.

135 Impossibile est, vt res diuisibilis composita ex partibus sine fine diuisibilibus aut solis, aut mixtis cum indiuisibilibus per talium partium localem distributionem, absque vllâ contractione congruat, seu adæquetur spatio locali extenso, quod ex solis punctis indiuisibilibus compositum sit.

Ita omnes sentiunt. Et demonstratur primo. Quia nulla est pars diuisibilis in tali re, quæ sine locali sui contractione alicui puncto talis spatij possit congruere, nullumque est punctum in tali spatio, quod alicui parti talis rei absque eius locali contractione congruere possit iuxta proposit. 27. Igitur impossibile est, omni locali contractione seclusâ, vt tota res toti spatio congruat per suarum partium localem distributionem. Si enim ita congrueret, iam non solum daretur aliqua pars rei congruens alicui puncto spatij, aliquodque punctum spatij congruens alicui parti rei, sed omnes, & singulæ partes rei omnibus & singulis punctis spatij, in quibus essent distributæ, congruerent, & vice versâ contra eandem propositionem.

136 Secundo aliter. Vt talis res tali spatio modo dicto congrueret, necesse planè erat, rem totam ita intra spatium totum distribui, vt præter rei indiuisibilia, si quæ ea habere dicatur, aliqua pars eius ex alijs composita cuilibet spatij puncto corresponderet, eique congrueret citra sui contractionem, aut saltem punctorum plerisque. Hoc autem ex proposit. 27. impossibile est.

137 Tertio. Hoc ipso, quod res composita ex partibus in infinitum diuisibilibus in spatio extenso locatur citra omnem sui contractionem, non possunt non partes quoque spatij esse in infinitum diuisibiles; ne sit indiuisibile spatium, in quo aliquid diuisibile citra sui contractionem locatum est contra proposit. 28. Ergo in spatio ex solis punctis composito res diuisibilis modo dicto locari non potest.

Propositio 30.

138 Impossibile est, vt res indiuisibilis per sui localem repetitionem penetraretur localiter, & adæquatè cum re diuisibili absque contractione vllâ extensa locali-

ter, ipsi ve congruat, & adæquetur in spatio locali extenso, si hæc ex partibus in infinitum diuisibilibus aut solis, aut mixtis cum indiuisibilibus, non verò ex solis indiuisibilibus composita sit.

Hæc propositio eisdem imprimis venit demonstranda argumentis, quibus proposit. 26. demonstrata est. Quæ enim ibi adducta demonstrant, impossibile esse, vt res indiuisibilis per sui localem repetitionem repleat spatium diuisibile, (& consequenter adæquatè penetraretur cum eo, ipsique adæquetur, & congruat; hæc enim omnia in idem recidunt iuxta dicta proposit. 4.), nisi tale spatium ex solis indiuisibilibus compositum sit. Pariter demonstrant, impossibile esse, vt res indiuisibilis per sui localem repetitionem adæquatè penetraretur cum re diuisibili extensa, nisi hæc ex solis indiuisibilibus composita sit, prout dicitur in præsentis propositione. Cui proinde ab vnoquoque, paulò variatis terminis, sunt applicanda; à nobis verò non repetenda.

139 Speciatim tamen præterea potest hæc propositio ex præteritis sic demonstrari. Quoties duo aliqua cum nullo spatio locali possunt penetrari adæquatè, nullivè adæquari, siue congruere, neque inter se localiter penetrari adæquatè, nec mutuo sibi adæquari, siue congruere possunt, iuxta proposit. 6. Sed res indiuisibilis per sui localem repetitionem, & res diuisibilis constans ex partibus sine fine diuisibilibus per sui localem distributionem omni expertem contractione locali cum nullo spatio locali possunt penetrari adæquatè, nullivè adæquari siue congruere. Ergo tales res modo dicto neque inter se localiter penetrari adæquatè, nec mutuo sibi adæquari, siue congruere possunt. Consequentia est legitima, vt patet. Maior est proposit. 6. citata. Minor ostenditur. Quia res indiuisibilis per sui localem repetitionem dumtaxat potest adæquari spatio locali extenso composito ex solis indiuisibilibus iuxta proposit. 26. & res diuisibilis, de qua est sermo, nequit tali spatio adæquari iuxta proposit. 29. Igitur ambæ simul nulli spatio adæquari possunt. Quod erat ostendendum.

Propositio 31.

140 Nulla res quoad extensionem localem diuisibilis datur, imo nec dari potest, quæ ex partibus in infinitum diuisibilibus physicè composita sit. Sed omnes in pura tandem indiuisibilia resolvable, atque adeò ex solis illis composita physicè necessariò esse debent.

Hæc propositio quarundam ex præcedentibus est fructus non exiguus. Quæ, licet ad resolutionem infra disput. 10. quæst. 4. tradendam, circa continui compositionem pertineat; maneat tamen hic demonstrata ex principijs de præsentia locali demonstratione iungendâ postea, cum alijs, quæ in quæstione dictâ exponentur. Demonstratur autem ex dictis sic. Impossibile est res quoad extensionem localem diuisibilis, cum qua Deus, aut etiam Angelus, aliæque res indiuisibiles non sint per sui localem replicationem, siue repetitionem penetrabiles adæ-

R adæ-

adaquatè in spatio extenso locali iuxta proposit. 7. (Et quidem de Deo saltem negari nequit, saluà fide, esse penetrabilem adquatè cum omni creaturà possibili ratione suà immensitatis iuxta dicenda disput. 6. Aliter autem, quàm per sui replicationem localem; non posse eum penetrari adquatè cum rebus localiter extensis constat ex proposit. 23.) Pergo. Sed Deus, Angelus, aliæque res indiuisibiles per sui localem replicationem non sunt penetrabiles adquatè in spatio extenso locali cum re quoad extensionem diuisibili, quæ ex partibus in infinitum diuisibilibus, non verò ex puris, solisque indiuisibilibus physicè composita sit iuxta proposit. 30. Igitur impossibilis est res quo ad extensionem diuisibilis, quæ ex partibus in infinitum diuisibilibus, non verò ex puris, solisque indiuisibilibus physicè composita sit.

141

Ex hac propositione inferitur, omnem præsentiam localem possibilem diuisibilem quoad extensionem ex solis tandem indiuisibilibus esse necessariò compositam; atque ita spatium etiam locale extensum in possibilitate huiusmodi præsentiarum re ipsà consistens iuxta dicta quæst. 2. ex solis pariter indiuisibilibus compositum esse necessariò. Tantumdemque dicendum est, de omni motu locali possibili; atque de omni loco extrinseco.

Propositio 32.

142

Quæcunque de actu, & potentià vniuersè in Pharo Scient. disput. 8. quæst. 4. sunt demonstrata, consequenter demonstranda huc veniunt de ybicatione, motu, penetratione, contiguitate, distantia, extensione, contractione, adæquatione, & congruentià locali tanquam de quibusdam actibus, deque eorum potentijs, quatenus conceptus vniuersales actus, potentiæque participant.

Est clarum, Quia clarum est, quæcunque conceptibus superioribus conueniunt, & inferioribus, in quibus illi reperiuntur, pariter conuenire. Quo circa omnes demonstrationes ibi factæ huc poterunt ab vnoquoque applicari.

Propositio 33.

143

Quæcunque de ente, & essentià in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 5. sunt vniuersè demonstrata, de terminis propositione præcedenti recensitis, prout sunt entia, & essentiæ quædam, pariter demonstranda veniunt.

Ratio est eadem, quæ ipsius præcedentis propositionis.

Propositio 34.

144

Quæcunque de statibus entium in Pharo Scient. disput. 10. quæst. 5. sunt demonstrata, de terminis commemoratis

proposit. 32. prout habentibus esse in illis statibus similiter demonstranda veniunt.

Ratio prorsus est eadem.

Propositio 35.

Quæcunque de possibili, impossibili, contingenti, & necessario in vniuersum sunt demonstrata in Pharo Scient. disput. 11. quæst. 5. de dictis terminis numeratis proposit. 32. prout ista prædicata participantibus similiter veniunt demonstranda.

Ob eandem præcedentium rationem.

Propositio 36.

Idem dicendum de demonstrationibus factis in Pharo Scient. disput. 13. quæst. 3. circa rerum identitatem, & distinctionem, in vniuersum.

Propositio 37.

Idem similiter dicendum de demonstrationibus factis in Pharo Scient. disput. 14. quæst. 4. circa relationem, connexionem, & oppositionem rerum vniuersim.

Propositio 38.

Idem de demonstrationibus factis ibidem disput. 15. quæst. 7. circa rerum prioritatem, posterioritatem, & simultaneitatem.

Propositio 39.

Idem de demonstrationibus factis ibidem disput. 16. quæst. 3. circa similitudinem, dissimilitudinem, æqualitatem, inæqualitatemque rerum.

Propositio 40.

Idem denique dicendum est de demonstrationibus factis in eadem Pharo disput. 17. quæst. 3. circa rerum vnitatem, & pluralitatem in vniuersum.

Ratio semper est eadem. Quia nimirum termini disputationum omnium, atque questionum ex Pharo Scient. relatarum ob suam vniuersalitatem eximiam manifestè includuntur tanquam in inferioribus, minisque vniuersalibus in terminis præsentis disputationis, atque questionis proposit. 32. numeratis. Atque ita passionis demonstrata de illis locis citatis non possunt non & his conuenire cum euidentià eadem prout in se includentibus illos. Quo fit, vt & ab vnoquoque de his prout illos eosdem in se includentibus non possint non facillimè demonstrari.

monstranda venire. Recognoscat ergo unusquisque demonstrationes illas, & huc applicet, prout arriserit, vel prout opus habuerit.

QVAESTIO VII.

Virum omnia, & singula entia, proprias præsentias locales habeant.

151 **N**on agimus hic de ente increato, aeterni disput. 6. sed de reliquis. Quæ ad tria capita, quod ad rem attinet, reduci possunt: nempe ad substantias spirituales, quales sunt Angeli, & animæ rationales; ad substantias corporeas, quales sunt reliquæ creaturæ; & ad vtrarumque accidentia.

152 **E**t quidem de præsentia locali Angelorum longam disputationem texunt Theologi in tract. de Angelis. In qua ut certum secundum fidem supponunt primò, Angelos alicubi esse: quia sæpe eis tribuitur locus in Scriptura, Apocal. 12. & alibi. Secundo, non esse ubique: quia sæpe etiam in Scriptura dicitur, eos locum mutare per transitum ex vno ad alium, vt Math. 4. Luc. 19. Marc. 5. & alibi. Vnde etiam constat, eos per aliquod genus motus localis moueri, & præsentiam in loco acquirere. Dissentiunt tamen in explicando, quo pacto illi in loco sint.

153 **P**rima sententia est, Angelum esse in loco per applicationem virtutis angelicæ ad corpus existens in loco. Ita videtur docere S. Th. 1. p. quæst. 52. art. 1. vbi eius discipuli varietate huiusmodi applicationem exponunt, putantes alij, fieri illam per operationem Angeli transeuntem. Alij, per quidam operationi simile. Alij, per aliqualem vnionem Angeli cum corpore, vt videtur apud Soar. lib. 4. de Angelis cap. 4. & 5. Vaz. 1. p. disp. 188. cap. 3. Alarc. disp. 6. de Ang. cap. 2. & alios mox referendos.

154 **S**ecunda sententia est, Angelum esse præsentem loco per suam substantiam, addita tamen volitione, qua vult in hoc loco esse, aut in alio. Ita Scot. in 2. disp. 2. quæst. 6. Bonau. Gabr. Marf. & alij apud Vaz.

155 **T**ertia sententia est, Angelum esse in loco per quamdam vnionem sui physicam cum corpore, existente in loco, vbi autem corpus non est, ibi Angelum præsentem localiter esse non posse. Ita docet Vaz. 1. p. disp. 29. cap. 3. & disp. 188. cap. 7. & disp. 195. cap. 3. & 4. Quem sequuti sunt Bubalus tom. de Angelis quæst. 52. art. 1. quæstio 2. diffi. 3. Albertin. quæst. 1. theologica circa 1. Corol. dub. 11. & Alarc. supra cap. 5. & seqq. Dicunt autem Auctores huius sententiæ primò, eiusmodi vnionem esse modum spirituales, & indiuisibilem substantiæ Angeli inhaerentem, ab ipsoque Angelo in se productum, non naturaliter, sed liberè; per quem totus, & totus cuilibet corporis parti vnitur. Secundo dicunt, ratione huius vnionis ad corpus, dum hoc localiter mouetur, per accidens moueri Angelum, transireque de vno spatio ad aliud, eadem numero semper vnione retentâ. Tertio dicunt, aliter posse Angelum pro suo libito mutare locum, suspendendo actionem productiuam vnionis sui cum hoc corpore, & producendo aliam vnionem sui cum alio corpore, siue distante à primo multum, aut parum,

siue ipsi contiguum. Quarto dicunt, in spatio corpore vacuo neque posse Angelum esse locatum, neque localiter moueri. Quinto dicunt, corpus, cui Angelus vnitur localiter non cuiusuis, sed certæ, & limitatæ magnitudinis esse debere iuxta naturalem Angeli perfectionem. Sexto dicunt, posse Angelum pro suo libito ab omni loco absolui, & esse nullibi. Septimo, posse plures Angelos naturaliter esse in eodem loco. Ac demum alia, quæ ex his sequuntur. Quo pacto etiam philosophantur de animâ rationali.

156 **Q**uarta denique sententia est, Angelum esse in loco per præsentiam suæ substantiæ superadditam, & inhaerentem ab omni corpore independentem, affixam tamen suapte essentiâ spatio locali, qualem exposuimus supra quæst. 1. Angelum enim per se esse præsentem spatio locali, per illudque independentem ab omni corpore moueri posse, non secus, atque alia entia sunt, & mouentur; nisi quòd præsentia Angeli ad spatium extensum definitiua est, proportionataque quoad extensionem naturæ Angeli debet esse. Hanc sententiam tradit, latèque explicat, & probat Soar. disp. 51. Metaph. sect. 3. & 4. & lib. 4. de Angelis à cap. 2. per multa sequentia. Eamdemque sequuntur Molin. 1. p. quæst. 52. art. 8. Valent. ibi, & alij. Granad. tract. 9. disp. 3. sect. 2. Arrub. disp. 154. cap. 3. Turrian. disp. 36. de Angel. dub. 7. Arriag. disp. 14. Phys. sect. 5. Franc. Alf. disp. 22. Phys. & alij Recentiores communiter. Qui omnes similiter philosophantur de animâ rationali.

157 **I**am verò circa substantias corporeas opinio quorundam est, nec eas nec cætera eorum accidentia, præter vnâ quantitatem, præsentiam sibi propriam habere; cuncta enim cætera in quouis ente corporeo per se subsistente ab vnâ præsentia quantitatis, cui vnuntur, præsentia reddi, & vno quantitatis motu moueri. Dicitur autem quantitas (sumpro hoc vocabulo specialiter) accidens illud, quòd facit eiusmodi ens esse impenetrabile cum alijs, & partes eius inter se. Hanc sententiam sequutus est Vaz. tom. 3. in 3. p. disp. 189. cap. 4. n. 29. & alij. Consentitque nouissimè Lynce lib. 7. Phys. tract. 1. cap. 2. quatenus ait, materiam primam, formam substantialem, & omnia accidentia entis naturalis per vnâ tantum præsentiam in loco esse.

158 **S**ecunda sententia magis communis est, substantias corporeas, & singula eorum accidentia, præter ea, quæ suapte essentiâ affixa sunt spatio locali, proprias præsentias habere sibi inhaerentes, proprijsque motibus moueri. Ita tenet Soar. disp. 51. Metaph. sect. 5. Petr. Hurt. disp. 14. Phys. sect. 4. Arriag. disp. 14. Phys. sect. 6. Ouiedo Contr. 15. Phys. pun. 5. Fran. Alf. disp. 22. Phys. sect. 5. Carleton. disp. 34. Phys. sect. 5. Spinula disp. 10. Phys. sect. 6. & alij. Qui pariter etiam sentire videntur de accidentibus subst. antiarum spiritualium.

Propositio 1.

159 **A**ngeli per præsentiam superadditam, & sibi inhaerentem independentem à corporibus sunt localiter præsentem, prout tenent Doctores relati pro quartâ sententiâ.

Probatur imprimis hæc propositio argumentis omnibus quibus quæst. 1. generatim probauimus.

mus, præsentiam localem, qua quælibet res creata est præsens alicubi, accidens ipsi inhærens esse, ratione cuius habet, esse in tali spatio locali cum tali distantia ab alijs rebus independenter à quouis corpore extrinseco distinctio ab ipsa re. Neque enim vlla ratio apparet idonea, cur talis præsentia solis corporibus, & non item spiritibus quadrare possit.

160 Id quod insuper probari potest primò. Quia, vt duo corpora independenter ab alijs corporibus possunt inter se esse distantia localiter, ita proculdubio possunt duo spiritus independenter ab omni corpore. Quid enim refert ad distantiam, quòd sint extrema, quæ distant, corpora, aut spiritus? Dices referre, quòd distantia, situs, & aliæ huiusmodi affectiones sunt propriae corporis. Fateor de situ, qui in quadam dispositione diuersarum partium consistit, quas non habet spiritus. De distantia verò diffiteor. Quæcunque enim talibus sunt præsentis locata, vt inter vnum, & alterum aliqua sit intercapedo, aliquodve interuallum, ea distare inter se dicuntur; ad quod non interest, vtrum sint corpora, aut spiritus. Dices rursus cum Vazq. solum distare inter se posse, quæ habent extrema, qualia sunt solum corpora composita ex partibus, non item spiritus indiuisibiles. Sed certè extrema corporum distantium indiuisibilia etiam sunt, eandemque proculdubio inter se distantiam habent, si, corruptis corporibus, quæ terminant, fixa persisterent. Cur ergo non poterunt spiritus indiuisibiles pariter inter se distare? Et quidem, in tuâ sententiâ Angeli vniti corporibus inter se distant. Demus ergo eos eodem spatio correspondentes permanere, corruptis, aut sublati inde corporibus; quis dicat non retenturos eos eandem distantiam? Dices fortasse, non posse ibidem sine corporibus persistere. Sed id nunquam probabis.

161 Secundò probatur propositio. Quia de conceptu essentiali cuiuslibet entis est, alicubi existere, ex suppositione quod existat, atque adeò alicubi præsentiam habere, vt quæst. 8. probabo. Sed non est de conceptu spirituum, quòd corpora existant: quia potuit Deus creare illos, nullo creato corpore, vt patet. Ergo spiritus independenter à corporibus alicubi possunt existere, alicubi que subinde præsentiam habere. Et sanè, si Deus solos Angelos creauisset, vt potuit, nescio, quo iure dici possit, fore, vt illi nec possent localiter moueri, nec possent inter se aut distantes esse, aut propinqui, aut penetrati, aut contigui; demum nec possent esse alicubi; cum tamen rerum naturâ essent. Ego equidem id non credam. Imo necessarium putò, vt dicebam, alicubi eos localiter præsentis fore. Quo circa censeo, in casu posito fore etiam, vt illi localiter mouerentur, iamque hic, iam alibi præsentis fierent, quasdam amittendo, & quasdam suo motu acquirendo præsentias locales independenter ab alio quopiam extrinseco. Quo eodem pacto subinde censeo, de factò eos se gerere in hoc Mundo. Corpora enim, quibus illud repletum est, respectu motus spirituum, localiumque eorum, præsentiarum non magis, quàm, si non essent, impedimento sunt hoc ipso, quòd cum illis omnibus sunt penetrabiles; vti fatentur omnes.

162 Terriò probatur. Quia Angeli independenter ab alio quopiam ente extrinseco durant in tempore eodem prorsus modo, ac durarent, si nullum aliud ens à Deo fuisset creatum; idque

per durationes sibi inhærentes, & superadditas, vt infra disp. 7. quæst. 5. ostendam. Ergo independenter etiam à corpore ipsis extrinseco, perque præsentias sibi inhærentes existunt in loco. Nulla enim idonea ratio reddi potest, cur independenter à corpore non possint esse in loco; cum, tamen independenter à corpore ab omnique ente sibi extrinseco possint durare in tempore.

163 Quartò. Deus independenter ab omni corpore est præsens ybique; quia præsens est in toto spatio corporibus vacuo, vt disp. 6. probabo: & in spatio corporibus pleno, non per vnionem, cum ipsis corporibus, sed per præsentiam sibi propriam, suam scilicet immensitatem, est præsens vt constat. Et tamen Deus spiritus est. Ergo ratio spiritus in Angelis non facit eos incapaces propriae præsentia omnino independentis à corpore.

164 Quintò. Deus potest postquam iam homo mortuus est, atque adeò dissoluta vnione animæ, & corporis, relinquere animam præsentem in spatio corporis cum ipso corpore penetratam. Quis hoc heget? Ergo aliter, quàm per vnionem ad corpus, potest spiritus in spatio corporis, atque adeò vbitibet præsens esse. Et sanè, dissoluta vnione animæ cum corpore humano per mortem, non aliter, quàm alteri corpori vnitam, posse eam deferri in Purgatorium, aut in Cælum, aut in Infernum; neque aliter, quàm alteri corpori vnitam, posse eam manere in aliquo horum locorum, quandiu durauerit status separationes eius; & ex se incredibile, & contra communem existimationem Fidelium esse videtur.

165 Sextò. Esse Angelum præsentem in aliquo loco, non potest esse in eo denominatio extrinseca desumpta à præsentia corporis in eo loco existentis. Ergo debet esse intrinseca desumpta à formâ in ipso Angelo inhærente, quæ propria eius præsentia sit, Consequentia est bona. Antecedens probatur. Primò, quia vel ex ipso conceptu præsentia localis constare videtur, non posse non illam esse formam quamdam intrinsecam rei præsentis. Secundò, quia sepe acquirit Angelus præsentiam in loco per verum motum localem, quo ex alio loco ad hunc transit iuxta Scripturam citatam, n. 152. Motus autem localis intrinsecus est, & inhærens rei, quæ mouetur, iuxta consensum communem Philosophorum ex Aristot. lib. 3. Phys. cap. 3. dicente, *Peripicuum est, motum esse in eo, quod mouetur.* Ergo & terminus acquisitus per illum, nempe præsentia in loco, rei, quæ mouetur, atque adeò Angelo intrinsecus debet esse, & inhærens. Dices, iam acquirere Angelum per motum præsentiam in loco, ad quem transit intrinsecam sibi; talem enim esse vnionem, qua vnitur corpori in tali loco existenti, quæque ipsi Angelo intrinseca, & inhærens est. Verùm hoc in sententiâ Aduersariorum dici non potest, qui censent vnionem, qua Angelus vnitur corpori eandem semper permanere, quantum corpus moueatur, ipseque Angelus cum corpore, cum ipsaque vnione mutet loca. Hoc autem fieri non possit, si talis vnio esset formaliter præsentia Angeli: cum omnis formalis præsentia ex essentiâ suâ sit immobilis, inseparabilisque ab eo spatio locali, cui correspondet. Relinquitur ergo, vt Angelus iuxta Aduersarios non ab vnione cum corpore præcisè tanquam formâ sibi intrinsecâ, sed insuper à præsentia sibi extrinseca corporis, cui vnitur, denominetur præsens loco.

loco, cui corpus ipsum præsens est. Quod fieri non posse probabamus.

166 Septimo. Non eo ipso, quod vnitur aliquid physicè alicui rei existenti in aliquo loco, fit præsens ipsi loco. Ergo non eo ipso, quod vnitur Angelus physicè alicui corpori existenti in aliquo loco, fit præsens ipsi loco; atque adeo aliquid aliud debet habere, quo præsens tali loco fiat. Consequentia est bona. Quia, supposito, quod vnio, qua ponitur ab Aduersarijs vnitus Angelus corpori existenti in aliquo loco, non habet prædicatum intrinsicum præsentia Angeli in tali loco, sed tantum vnionis Angeli cum corpore per accidens in tali loco existente iuxta dicta num. præced. Si eo ipso, quod Angelus vnitur corpori existenti in aliquo loco, fieret præsens in tali loco, eo ipso, quod quiduis aliud vniretur alicui rei existenti in aliquo loco, fieret quoque præsens in tali loco. At hoc non ita esse, quod erat assumptum propositum, probatur. Quia præsentia circumscripta, qua Christus dominus est præsens in Cælo, vnita est ipsi Christo existenti in loco Eucharistia; & tamen illa non est in loco Eucharistia; & vniversim, cum Deus ponit corpus aliquod in duobus locis, non habet in vtroque accidentia sibi vnita, quæ dependent per suam essentiam ab ipsis locis; caput etiam hominis vnitum est animæ existenti in loco pedis; & tamen caput non existit in loco pedis; & humanitas Christi domini vnita est Verbo diuino existenti vbi que; & tamen ea non est vbi que. Hæc certa apud omnes. Longè autem probabilius apud plerisque, posse Deum ponere quoduis corpus in aliquo loco, quin ibi ponantur cætera quæque accidentia ipsi physicè vnita. Igitur, esse aliquid physicè vnitum alicui rei existenti in aliquo loco, non est, esse præsens in tali loco. Et consequenter neque esse Angelum physicè vnitum corpori existenti in aliquo loco, erit, esse præsentem in tali loco. Non ergo per vnionem cum corpore sed per præsentiam sibi inhærentem, & independentem à corpore præsens Angelus in loco est; prout nostra propositio fert.

167 Huiusmodi autem præsentiam Angeli esse de facto modum eius, ex dictis de præsentia vniversè quæst. 1. proposit. 3. constat. Esse autem modum spiritualem, qualis est Angelus, & non corporeum, apud omnes est manifestum. An verò, quando Angelus in spatio extenso ponitur præsens, vt plerunque fit, eius præsentia definitiua sit diuisibilis ex parte spatij, an verò indiuisibilis, satis est dubium: quia verumque est possibile, vt diximus supra quæst. 4. communisque Theologorum sententia tenet, vt testatur Cardin. Lugo tom. de Sacram. disput. 5. de Eucharist. sect. 3. num. 64. Arbitror, diuisibilem esse ferendam esse de facto: tum quia talis videtur adstrui communiter ab Auctoribus nostræ sententia; tum quia talis sufficit; atque adeo non est, cur maior perfectio præsentia indiuisibilis, vt pote similioris præsentia Dei, de facto adstruatur. Quemnam autem effectum formalem præstat Angelo præsentia eius, ex dictis etiam in vniversum quæst. 1. proposit. 2. constat. De præsentia quippe spirituum perinde, ac de præsentia corporum, quoad hoc philolophandum est, nisi quod hæc circumscriptiua, illa definitiua est, quando est ad spatium extensum.

168 Sed est notandum, vnumquemque Angelum penes dignitatem, & perfectionem suæ na-

turæ taxare sibi certam spheram, seu magnitudinem spatij, intra quam solum, & non vltra, præsentia eius definitiua potest extendi naturaliter. Et idem est de animâ rationali in statu separationis. (Nam dum est vnita corpori ad solum, & totum spatium corporis, cuius forma est, potest extendi). Non tamen est Angelus necessitatus ad replendum totum spatium, quod naturaliter potest, sed in minori, & minori, atque etiam in puncto indiuisibili potest naturaliter præsens poni; siue ipse pro arbitrio suo per aliquod genus motus localis, aut aliter determinet suam præsentiam, vt plerunque fit, siue ea determinetur à Deo, vt in primâ Angeli creatione; siue ea aut à Deo, aut ab alio Angelo determinetur, vt in alijs multis casibus potest accidere. Ita docent communiter Theologi cum S. Tho. 1. par. quæst. 52. artic. 1. & in 2. distinct. 2. teste Soar. disput. 51. Metaph. sect. 4. num. 2. & lib. 4. de Angel. cap. 11. Porro spatium, locale maximum, quod vnusquisque Angelus naturaliter potest replere; ad quodque suam præsentiam definitiuam naturaliter potest extendere, adæquatus locus eius vocatur: inadæquatus verò quodcunque minus. Cætera, quæ de loco Angelorum, de eorumque vocatione, & motu restant in præsentia scienda, in sequentibus attingentur.

169 Ex dictis liquet, præsentiam localem Angeli in applicatione virtutis eius ad corpus aliquod nullatenus posse consistere; siue hæc applicatio per operationem Angeli transeuntem, siue per aliquid operationi simile, siue per aliquod vnionis genus dicatur fieri. Argumenta enim, facta pro nostrâ proposit. cuncta hæc relegant procul à ratione præsentia Angelicæ. Per eaque constat etiam, per solum actum voluntatis Angelicæ non posse determinari substantiam eius ad esse in loco, cum nullus actus voluntatis Angelicæ per se præsentia Angeli sit essentialiter loco affixa, vt constat. Quibus satis superque exclusæ manent omnes sententiæ conuenientes, præter quartam, quam sequimur. Argumenta autem, quæ contra hanc opponi possunt, aut iam soluta, aut facile ab vnoquoque solubilia manent ex dictis. Veniamus ergo ad secundam partem quæstionis.

Propositio 2.

170 Singula entia reperta in quauis substantia completâ per se subsistente singulas sibi proprias, sibi que immediatè vnitas habent præsentias locales; exceptis præsentijis ipsis, & earum modis.

Probatur primò. Quia denominatio præsentis intrinseca est proueniens à formâ vnità immediatè rei præsentis, ipsamque immediatè afficiente. Ergo non potest vnus ens reddi præsens per præsentiam alterius, quantumvis illud sit huic vnitum, aut aliter coniunctum physicè. Vt latius argumentati sumus supra num. 165.

171 Secundò. Quia, vt fusiùs etiam ostendimus supra num. 166. esse aliquid vnitum, aut aliter coniunctum physicè cum re præsentem in aliquo spatio, non est, esse illud præsens in tali spatio. Ergo quantumvis omnia entia in quauis substantia completâ reperta sint inter se

se vnita, aut aliter coniuncta physice, per presentiam cuiusvis eorum non possunt reliqua reddi presentia eidem spatio. Necessè est igitur, vt singula proprias presentias habeant.

172 Tertiò. Quodlibet ex prædictis entibus essentialiter sibi postulat alicubi esse, atque adeò per propriam presentiam iuxta doctrinam tradendam quæst. 8. Quo circa negari non potest, talem presentiam esse illi possibilem vt quamdã eius perfectionem connaturalem, atque proportionatam. Ergo, cum nihil sit, quod impediat, ipsi erit connaturaliter debita; proindeque connaturaliter illam de facto habebit.

173 Excepi in propositione presentias, & earum modos; quia presentia se ipsis, & non per alias presentias, sunt presentes spatio locali, cui correspondent; quia per suam essentiam habent, quod subiectis accidentaliter præstant, vt diximus alibi. Modi etiam presentiarum, vt actiones, quibus fiunt, durationes, quibus durant, & si quos alios habent, non sunt presentes per alias presentias; quia harum darentur alij modi, & abiretur in infinitum. Sed vel per se ipsos quasi per se immediatè affixi suapte essentia eidem spatio, vel per presentias, quarum sunt modi; vt pote cum quibus intimè, & immediatè vniuntur, earumque subinde effectum formalem quodammodo participant.

174 Ex dictis infertur primò, in compositis substantialibus corporeis materiam primam propriam habere presentiam distinctam à presentia formæ. Sicut & forma propriam habet distinctam à presentia materia. Imò vniõni vtriusque propria, & distincta ab alijs presentia competit. Tantumdemque de subsistentia ambarum dicendum est.

175 Secundò infertur, in eisdem compositis omnia, & singula accidentia, præter excepta, singulas presentias proprias habere, vt quantitates, qualitates, potentias, habitus, actiones, aut passiones, &c.

176 Tertiò infertur, singulas partes integrantes huiusmodi substantiarum, & accidentium, singulas quoque partiales presentias habere. Quia pro istis omnibus militat eadem ratio.

177 Quartò denique infertur, in substantijs spiritalibus pariter esse philosophandum; atque adeò dicendum, singula cuiusvis Angeli, aut animæ rationalis accidentia, (præter presentias, & earum modos), vt species intentionales, habitus, actus intellectus, & voluntatis, & si quæ sunt alia, singulas quoque proprias presentias locales habere.

178 Sed obiicit aliquis. Quamuis vnum ens non possit reddi præsens localiter per presentiam alterius iuxta dicta; possibile tamen est, vt plura entia per vnicam presentiam localem, quæ omnium indiuisim sit propria, presentia fiant, maxime, quando illa inter se sunt intimè vnita, vt sunt substantia quæuis completa, eius accidentia, partes essentielles, & modi. Superflue igitur pro istis omnibus totidem presentia locales de facto adstruuntur; tamen si sint illæ possibile: siquidem per vnam illam, etiam possibilem, quidquid omnes istæ præstant, præstari potest; frustra quoque præstantur per plura, quæ possunt per pauciora. Respondeo, esse ea presentia, quæ indiuisim sit presentia mul-

torum, entium, metaphysicè sit possibile, connaturaliter tamen non est possibile. Sicut non est connaturaliter possibile presentia, quæ indiuisim faciat presentes omnes partes corporis integrantes; tamen ea citra dubium possibile metaphysicè sit. Ratio omnium est: quia vnumquodque ens, vt habet essentiam propriam distinctam ab essentijs aliorum, ita iure quodam naturali vendicat sibi proprias passiones, quoties eas habet possibles independentè ab alijs entibus, vt iure quodam proprietatis suam secum supellectilem habeat, quæ non sit communis alijs entibus. Quare, etsi sit possibile simpliciter passio pluribus entibus communis; si tamen ad idem munus præstandum sunt alia etiam possibile singulari propria; ista, non illa, connaturaliter debentur; proindeque illa naturaliter non censetur possibile.

Hic querunt aliqui, quam presentia ab alijs differant specie. Eandemque questionem in plurimis materijs repetunt, eodemque iure possent, imò & deberent, in omnibus, vt procederent consequenter: cum tamen ea rediuncta ad terminos generales vnica quæstio sit ad Logicam spectans. Videantur à nobis scripta in Pharo Scient. disput. 17. quæst. 8. 12. & 14. Vbi regulas generales dedimus ad dignoscendum, quinam conceptus obiectiui, seu termini, & qua ratione specie diuersi dicendi sint, quinam verò secus. Per quas regulas singulis applicatas materijs facile sciemus, quinam earum termini differant inter se specie, & quinam non item; vitato interim molesto labore, scribendi, ac toties repetendi quæstionem prædictam. Quam nos propterea tam hic, quam alibi omittendam censemus.

QVÆSTIO VIII.

*Verum aliquod ens creatum absque
omni presentia locali, atque
adeò nullibi possit
existere.*

CERTUM est primò, Deum ab omni presentia locali non posse absolui. Quia per suam immensitatem essentialiter est ybique iuxta dicenda disput. 6.

Certum est secundò, nullum ens corporeum posse naturaliter esse absque omni presentia locali, atque adeò ex necessitate natura alicubi esse debere. Quia presentia localis, siue vbiatio vt minimum est naturalis passio entis corporei naturaliter illi debita; proindeque naturaliter ab eo dimanans.

Certum est tertiò, entia spatio locali affixa, vt presentia, & earum modi, nullatenus posse absolui à locis, quibus essentialiter sunt affixa. Vnde de cæteris solum entibus procedit quæstio.

Dux ergo supersunt difficultates. Prima, vtrum ens spirituale, vt Angelus, possit naturaliter ab omni presentia absolui, & nullibi existere. Secunda, an sit possibile, saltem de potentia Dei absolui, vt aliquod ens seu spirituale, seu corporeum absque omni presentia locali, atque adeò nullibi existat.

Circa

184 Circa priorem difficultatem Vazq. Bubal. & Alarc. citati quæst. 7. n. 155. censent, Angelum naturaliter, imo pro suo arbitratu posse ab omni præsentia locali absolui; atque adeo nullibi esse. Pro qua etiam sententiâ videntur stare, quotquot docent, Angelum per aliquod genus applicationis suæ virtutis ad corpus fieri localiter præsentem. Tum, qui opinantur, per suam substantiam, addito actu voluntatis, præsentem fieri. Qui etiam ibi num. 153. & 154. citati sunt. Oppositam tamen sententiam tenet Soar. lib. 4. de Angel. cap. 3. Quam etiam tenent haud dubiè quotquot cum ipso Soar. sentiunt de Angelorum præsentia citati num. 156.

185 Circa posteriorem difficultatem satis communis videtur esse sententia assententium, non solum ens spirituale, sed etiam corporeum posse supernaturaliter ab omni præsentia absolui, & nullibi esse. Eam præter Vazq. Bubal. Alarc. & alios num. præced. pro primâ sententiâ relatos tenent Moncaus, disput. 1. cap. 2. & 8. Maratus 1. par. disput. 19. sect. 1. Oniedo Contr. 15. Phys. pun. 7. Lynce lib. 6. Physic. tract. 2. cap. 5. Franc. Alf. disput. 22. Phys. sect. 7. & alij Recentiores. Oppositam tamen tenent Soar. supra Arrubal. 1. par. disput. 123. cap. 1. Molina quæst. 52. art. 1. disput. vnic. mem. 4. Conino. 3. par. quæst. 75. art. 4. disput. 1. Pet. Hurt. disput. 12. de Anim. sect. 3. Arriag. disput. 14. Phys. sect. 4. Vbi dicit esse communem, Carleton. disput. 35. Phys. sect. 5. Spinula disp. 10. Phys. sect. vi. & alij.

Propositio I.

186 Impossibile omnino est, vt aliquod ens creatum seu spirituale, seu corporeum absque omni præsentia locali, atque adeo nullibi existat. Vnde nec de potentia Dei absolutâ potest id fieri.

Probatur primò ab auctoritate Patrum, atque Philosophorum. Nazianz. enim orat. 34. quæ est 2. de Theol. ait. *Si id, quod non est, nusquam est, id quoque, quod nusquam est, nec quidquam fortasse est.* Hilar. cap. 5. in Math. ante medium. *Omne, quod creatum est, alicubi est.* August. epist. 5. ad Dardanum. *Tolle spatia à corporibus, & nusquam erunt.* Quod si nusquam erunt, neque erunt. Et lib. de immortal. animæ cap. 1. *Quidquid est, nusquam esse non potest.* Arist. autem lib. 4. Phys. text. 1. restans de communi ait. *Quæ sunt, omnes existimant, alicubi esse; quod verò non est, nusquam esse.* Et Cic. 1. Tuscul. *Vbi sunt, inquit, quos miseros dicit, aut quem incolunt locum? Si enim sunt, nusquam esse non possunt.* Qui quidem planè de notant verbis relatis, se sentire, nullatenus posse quidpiam existere, quin alicubi existat.

187 Secundò probatur. Quia impossibile est, existere aliquid extra totum ambitum circumquaque infinitum spatij localis, quod imaginarium appellat; non enim datur extra, hoc ipso, quòd illud est circumquaque infinitum; cum extra manifestè connotet terminos eius, extra quod aliquid esse dicitur. Ergo, quidquid existit, intra tale spatium necessariò debet existere. Quod ipsum est existere alicubi cum aliqua præsentia locali. Dices, posse aliquid existere, quin existat aut extra, aut intra totum spatium locale, & tamen existat: hoc enim ipsum esse existere nullibi. Sed certè hoc ipsum valde imperceptibile est: quia existere, & non intra spatium locale, id ipsum est ex conceptu suo, existere extra; cumque

aliunde repugnet, existere extra; quandoquidem non datur extra; planè repugnat existere, & non intra spatium locale. Quod propterea capacitas quædam est proculdubio omnium omnino possibilem, intra quam necessariò cadere debet, quidquid ex statu possibilitatis ad statum existentia reducitur.

188 Id quod tertio probatur à paritate spatij temporalis, seu temporis, quod dicunt imaginarium. Impossibile quippe est, existere aliquid, & non existere in aliquo tempore, aut præsentem, aut præterito, aut futuro. Siquidem de omnente translato ab statu possibilitatis ad statum existentia verum citra omne dubium est, dicere, quòd vel existit, vel existit, vel existit. Ergo impossibile est existere aliquid, & non existere in aliquo loco. Negant Aduersarij communiter consequentiam, concesso antecedente: quia, inquit, existere in aliquo tempore, siue in co durare, nihil importat distinctum à re, quæ existit, & à tempore. Vnde hoc ipso, quòd res existat, non potest non existere in aliquo tempore: quia non potest omne tempus deesse. At existere in aliquo loco, præter rem existentem, & locum, importat præsentiam superadditam, quæ potest deficere, quin ob id aut res, aut locus desinant esse. Sed contra primò, Quia etiam, existere rem creatam in aliquo tempore, præter rem ipsam existentem, & ipsum tempus, importat durationem superadditam, vt infra disp. 8. quæst. 1. ostendam. Quo corrui penitus Aduersariorum responsio. Contra secundò, Quia, præcincendo modò à quæstione de præsentis, & durationibus superadditis, paritas in argumento proposita stat in hoc, vt quemadmodum est impossibile, existere aliquid, & non intra ambitum totius spatij temporalis, seu temporis imaginarij; ita est impossibile existere aliquid, & non intra ambitum totius spatij localis, seu loci imaginarij. Vel, si potest quidpiam existere in nullo loco, cur non potest pariter existere in nullo tempore? Certè horum disparitas adhuc desideratur in responsione Aduersariorum. Quare nos censemus, nullam idoneam dari posse; atque adeo putamus, tam essenziale esse cuilibet enti existere in aliquo loco, quàm existere in aliquo tempore ex hypothesi, quòd existat.

189 Quarto probò propositionem argumento theologico. Impossibile est, existere aliquid ens creatum, cui Deus non sit intimè præsens per suam substantiam ratione suæ immensitatis; & quod subinde non sit vicissim intimè præsens Deo. Ergo impossibile est, existere aliquid ens creatum, quod alicubi non sit præsens localiter. Antecedens haud dubiè est certum secundum fidem, vt ex dicendis disput. 6. constabit. Consequentia probatur, Quia Deus ratione suæ immensitatis, supposito spatio locali circumquaque infinito, ita est suapte essentia toti illi, & omnibus eius partibus intimè præsens, vt nequeat intelligi existens nisi vel in toto ipso spatio, vel in aliqua parte eius; quemadmodum præsentia creata suapte essentia correspondens spatio A aliter, quàm in ipso spatio A, existens non potest intelligi. Igitur, sicut præsentia creata correspondens spatio A neutiquam potest alteri enti esse intime præsens, quin tale ens sit etiam existens in eodem spatio A, vt est notum; ita Deus omnibus spatijs, seu partibus spatij infiniti correspondens ratione suæ immensitatis neutiquam potest alteri enti esse intime præsens, quin tale ens sit etiam existens in aliquo dictorum spatiorum; in aliqua ve parte dicti spa-

tij infiniti; atque adeo, quin sit alicubi præsens localiter. Quod erat probandum.

190 Confirmatur, & declaratur. Quia Deus non existit extra totum infinitum ambitum spatij localis, cum non detur extra, vt dictum est; replet tamen suâ infinitâ præsentiâ totum ipsum spatium prout explicabimus infra disput. 6. Ergo impossibile est, vt Deus à tali præsentiâ habeat esse intimè præsens omni enti creato, prout est necessarium iuxta fidem; nisi tale ens intra tale spatium existat, vt satis ex se patet. At hoc ipsum est, esse illud intra tale spatium alicubi præsens localiter, vt patet etiam, Ergo.

191 Nec dici potest, Deum, & creaturam mutua coexistentiam, mutuaque intimam præsentiâ habere posse; quin ea sit aut intra, aut extra spatium locale. Hoc enim imprimis repugnat ex parte creaturæ, Cui impossibile est existere, & neque intra, neque extra spatium locale existere iuxta dicta num. 187. Deinde clariùs repugnat ex parte Dei, Qui, cum ratione suâ immensitatis indiuisibilis intrinsecè in toto iam spatio locali, & in omnibus partibus eius per sui totius localem replicationem necessariò sit præsens; vt alibi, præterquam in illis, redderetur præsens creaturæ, nona capacitas localis pro nouâ sui locali replicatione in illa deberet esse. Atque ita, præter omnes, & ultra omnes omnino partes spatij localis, aliqua insuper daretur pars spatij localis, Quod implicat contradictionem in terminis.

192 Ex ijs probo quintò propositionem. Omne ens creaturæ titulo talis non minus indiget essentialiter præsentiâ Dei ad existendum, quam eius influxu, vt latius explicabitur infra disput. 6. Sed nequæ talem præsentiâ participare nisi existat intra ambitum spatij localis; vbi solum Deus est præsens, non extra, aut alibi; quia non datur extra, neque alibi, vt dictum est. Ergo. At intra talem ambitum existere, id ipsum est existere alicubi præsens localiter. Ergo omne ens creatum essentialiter postulat existere alicubi præsens localiter ex hypothesi, quòd existat. Repugnat ergo omnino, illud absque omni præsentiâ nullibi existere.

193 Et confirmari clariùs potest, Quia Deus nullatenus potest creaturam producere, nisi sibi præsentem in aliquo spatio locali, sicut & in aliquo temporali, vt apparebit ex dicendis infra quæst. 13. Quod ipsum est, tam necessariam esse omni creaturæ aliquam præsentiâ localem, quam ipsi est necessaria productio, qua accipiat existentiam à Deo.

His sufficienter manet reiectus Oniedo, quatenus putat, bene componi posse, quòd creatura nullibi sit, & tamen sit intimè præsens Deo. Lynce verò hoc reputans impossibile, consequenter concedit possibile, quòd creatura in nullo loco, aut etiam in nullo tempore existens non sit intimè præsens Deo, ipsiusve intrinsecè immensitati, aut æternitati. Hoc tamen non satis videtur tutum, Cum sit de fide, creaturis omnibus saltem de facto intimè præsentem Deum esse ratione suâ intrinsecè immensitatis, aut etiam æternitatis. Nec maior ratio pro facto, quam pro possibili videatur esse, vt videbimus disput. 6.

194 Sed obijciunt Aduersarij primò, Ens indifferens, vt existat in varijs locis, qualia sunt pleraque, cum nullâ suarum præsentiarum est

essentialiter connexum; siquidem nulla est, quam non possit carere. Igitur saltem diuinitus potest carere omni, & nullibi esse. Distinguo antecessens. Cum nullâ suarum præsentiarum determinatè est essentialiter connexum; concedo: cum nullâ vagè; nego, Et nego consequentiam. Itaque omne ens creatum eum aliqua præsentiâ locali sui vagè, siue sub disfunctione est essentialiter connexum. Sicut & cum aliqua sui productione, hæc, vel illà, vel aliâ, &c.

195 Secundò obijciunt, Ens creatum priùs naturâ existit, quam sua præsentiâ locali. Ergo nequit indigere illâ essentialiter ad existendum, atque adeò neque essentialiter connecti cum illâ. Nego consequentiam. Quia nihil vetat, aliquid prius naturâ alio, imò & prius tempore, connecti cum eo essentialiter, vt patet in omni causâ prædeterminatâ ad effectum, in actione naturâ antecedente suum terminum, in scientia Dei, & actu fidei de Antichristo futuro. Hæc enim, & aliâ huiusmodi essentialiter sunt connexa cum aliquo se posteriore aut naturâ, aut tempore. In eo autem signo prioritatis naturæ præcisue concipitur ens iam existens nondum præsens localiter. Negatiue autem non præsens concipi sine contradictione non potest. Quia id ei prorsus repugnat.

Propositio 2.

196 Neque Angelus, neque aliud quodpiam ens spirituale, nedum corporeum, potest aut naturaliter, aut quouis modo prout suo ab omni præsentiâ locali absolui, sicque nullibi esse.

Hæc propositio constat ex præcedente. Quia, quod simpliciter, atque adeò etiam supernaturaliter, est impossibile, vt ibi monstrauimus, non potest non naturaliter esse impossibile, atque sub nullum arbitrium cadens, vt cunctis notissimum est.

QVÆSTIO IX.

*Quibus in locis, siue spatijs localibus
sint negationes entium,
Et qualiter.*

197 **S**uppono primò ex doctrinâ stabilitâ in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 3. negationem entis reuerà nihil penitus esse habens essentiam aliquam in se cognoscibilem positiue ab ijs, qui per species proprias cognoscunt; sed in mero non esse entis consistere, eiusque proinde veritatem obiectiuam negatiue tantum cognoscibilem esse à cognoscentibus per species proprias, per cognitionem scilicet recessiuam ab ente negato, seu remotiuam eius. Tamen à nobis cognoscentibus per species alienas tum negatiue modo dicto sit cognoscibilis negatio, tum etiam positiue, quatenus per speciem entis, atque adeò ad instar entis habentis aliquam essentiam conceptibilis est. De qua proinde sæpe formamus propositionem affirmatiuam; sed, quæ æquiualeat negatiue entis, cuius negatio est; prout pluribus loco citato exposuimus,

mus, & ostendimus. Hinc, quoties in hac, aut alijs quæstionibus positiue de negationibus loquuti fuerimus, prout consentaneè ad nostrum modum eas concipiendi claritatis gratia sæpe oportebit, dicentes videlicet, eas esse, siue existere, in his, aut illis locis, seu spatijs, aut aliquid simile; omnes eiusmodi loquutiones per æquivalentiam ad negatiuas eis respondentes capiendæ sunt; ita, quòd in idem semper censetur recidere, esse negationem in tali loco, siue spatio, & non esse in tali loco, siue spatio ens negatum per illam, &c. Quod pro omnibus subsequenti-
bus notatum esto.

198 Suppono secundò, non solum entium possibilitatem dari veras negationes, sed etiam eorum impossibilitatem, quæ in se quiditatem aliquam habent per speciem propriam conceptibilem. Aliæ namque chymæræ impossibiles, quæ solum per species alienas conceptibiles sunt, vt nullam in se quiditatem per propriam speciem conceptibilem habent, ita nequè per veram aliquam negationem excluduntur ab statu existentiæ. Atque ita propositiones illas negantes per æquivalentiam tantum sunt veræ, quatenus pro verificatiuis habent, non negationes, quas præferunt talium chymærarum, sed alias quasdam veritates seu positiuas, seu negatiuas. Quæ omnia constant ex dictis in Pharo Scient. tum disput. 9. citata quæst. 3. & 4. tum disput. 10. quæst. 4. & disput. 11. quæst. 2.

199 Suppono tertio, negationem aut posse esse entis indifferentis ad essendum in omnibus locis, siue spatijs localibus, qualia sunt pleraque; aut entis suapte essentiæ affixi alicui loco, siue spatio, quales sunt vocationes, seu præsentia locales, modique earum; & si quæ sunt alia entia se ipsis spatijs localibus affixa. His positis sit.

Propositio 1.

200 Quoties ex rerum naturâ deest, siue simpliciter non existit vocatione aliqua, (& idem est de quouis ente affixo suapte essentiâ spatio locali determinato), in eo ipso spatio censetur esse per se ipsam negatio eius, vbi per se ipsam esset vocatione, si existeret.

Hæc propositio apud omnes est in confes-
sò. Indeque manifestè constat: quia ibi censetur esse per se negatio entis, vnde per se, seu per proprium defectum deest ens ipsum, siue non est. Cùm, non esse quidpiam per se, seu per defectum proprium alicubi, & esse ipsius negationem per se ibi, in idem planè recidant, vt constat. Sed ab eo ipso spatio, vbi esset per se vocatione, si existeret, deest per se seu per defectum proprium illa, dum non existit, vt etiam constat. Igitur in eodem ipso spatio censetur per se esse negatio eius.

Propositio 2.

201 Quoties ens aliquod ex indifferentibus ad essendum vbi libet existit in rerum naturâ, in aliquo spatio locali vocatione est, in nullo aliorum spatiorum, à quibus abest, datur negatio eius: quia non

per negationem propriam, sed per negationes præsentiarum eis respondentium deest ab ipsis.

Hæc propositio de mente fere omnium Doctorum videtur esse citra dubium, vt pote communiter existimantium, & supponentium, me non esse Matriri, dum sum Romæ, non inde nasci, quòd mea negatio Matriri sit; sed quòd non habeam præsentiam Matriri, sicut habeo Romæ; Matritique subinde sit negatio omnium præsentiarum, quæ me Matriri collocarent, si existerent. Huic tamen existimationi haud dubie communi nouissimè se se opponit Carletonenixè contendens disput. 18. Logicæ sect. 9. vbi que esse reuerà negationem cuiuslibet rei absolute existentis, præterquam in eo spatio locali, vbi præsens est. Cum quo etiam sentit Spinula disput. 10. Phys. sect. 6. artic. 3.

202 Sed probatur nihilominus contra eos propositio nostra primò. Quia, quod in rerum naturâ non existit, nullibi existit, vt est certissimum; nam prius est, habere existentiam, quàm præsentiam localem; prorsusque repugnat, esse quidpiam præsens alicubi, quod existens non est, vt constat. Sed negatio entis in rerum naturâ existentis in rerum naturâ non existit, vt etiam constat; quia formaliter ab statu existentiæ exclusa est per ipsum ens. Ergo negatio entis in rerum naturâ existentis, ali ubique subinde præsentis, nullibi existit. Ergo non existit in eis spatijs, à quibus abest tale ens. Hocque proinde ab illis, non per sui negationem, sed per negationes suarum præsentiarum ipsis correspondentium abest.

203 Secundò probatur. Quia, quoties aliquod ens mouetur localiter, vt in spatio, ad quod accedit sola præsentia superaddita accrescit ipsi citra omne accrementum entitatis, aut existentiae propriae; ita in spatio, à quo recedit, sola præsentia superaddita deficit ipsi citra omnem defectum entitatis, aut existentiae propriae, vt est notissimum. Ergo per solum defectum præsentia absque vilo defectu propriae entitatis, aut existentiae abest à tali spatio. Quod ipsum est, in tali spatio solum defectum, siue negationem, talis præsentia, non item defectum, siue negationem ipsius entis existere. Tantumdemque subinde erit de cæteris ipatijs, à quibus abest ipsum ens.

204 Tertio. Quia non est excogitabilis negatio entis, per quam ens ipsum non excludatur ab statu existentiæ, vt ex doctrinâ datâ in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 3. & 4. & disput. 10. quæst. 4. satis clarè colligitur; atque ex se etiam videtur notum. Sed ens existens ab statu existentiæ exclusum non est, vt constat. Ergo nulla datur negatio eius, Ergo negatio eius nullibi est.

205 Quarto. Qui negat de aliquo ente existente, quòd sit agens, aut patiens, aut alteri vnitum, dumtaxat negat existentiam actionis, aut passionis, aut vnionis talis entis, quin neget ens ipsum vilo modo. Ergo, qui negat de aliquo ente existente, quòd sit præsens alicui spatio, dumtaxat negat existentiam præsentiae illius in tali spatio; quin neget ens ipsum vilo modo. Ergo, aliquod ens alibi existens non esse præsens huic spatio, seu (quod in idem recidit) non esse, seu non existere in hoc spatio, dumtaxat est, non existere præsentiam eius in hoc

hoc spatio; non verò item non existere ipsum; atque adeò esse in hoc spatio defectum, seu negationem eius. Et quidem cognoscentes per species proprias ab eo ente solum recedunt suo indicio negatio, quod excludunt ab existentia, à qua ens alicubi existens cum veritate nequeunt excludere; proindeque nusquam ab ipso recedunt, sed tantum ab eius presentijs in illis spatijs, quibus præsens non est.

296

Quintò. Ens indifferens ad essendum vbi libet per se præcisè, dum existit, solum habet positum esse in statu existentiæ, donec per præsentiam superadditam ponitur insuper in spatio locali. Ergo per suam negationem sibi præcisè contradictoriè oppositam à solo statu existentiæ potest formaliter excludi; non item ab spatio locali. Ergo ipsum, & sua negatio dumtaxat sunt extrema contradictoriè opposita; atque adeò vicissim sese formaliter excludentia; relatè ad statum existentialem præcisè; non item relatè ad spatium locale. Hæc mihi certa. Ex quibus planè sequitur primò; quando tale ens existens est, atque adeò positum in statu existentiæ, ipsius negationem in statu existentiæ non esse, & consequenter neque esse vllibi; quia nequit quidpiam sine existentia sibi proportionata alicubi esse; eo quòd existere in loco, essentialiter supponit, aut inuoluit, existere, vt principio arguebamus. Secundò sequitur, quando tale ens est existens alicubi, in alijs spatijs, vnde abest, nullatenus esse ipsius negationem, vt pote quæ nullibi est in tali casu iuxta dicta. Tertio sequitur, quando tale ens alicubi existit, à cæteris locis, vnde deest, non remoueri illud per sui negationem, sed per negationem præsentia suæ in locis ipsis, vt etiam est dictum in præcedentibus. Quarto sequitur, etiam quando tale ens non existit, & consequenter nullibi est præsens, dumtaxat esse illud exclusum per sui negationem formaliter ab statu existentiæ. Tamen per illam nihilominus fit etiam exclusum consequenter ab omni spatio locali: eo quòd negatio talis entis necessariò fert secum negationem præsentia eius in omni spatio locali, per quam tale ens denominatur ab omni spatio locali exclusum, idest in eo non præsens. Quintò sequitur, quando tale ens non existit, & consequenter nullibi est præsens, etsi negatio eius, non solum sit in statu existentiæ, à quo per se formaliter illud excludit, sed insuper iure censetur esse in omni spatio locali, in quo tale ens non est præsens: hoc tamen secundum habere illam, non quia sit exclusio formalis talis entis ab omni spatio locali, non enim est eiusmodi, vt diximus; sed quia necessariò est connexa, & coniuncta intimè cum negatione præsentia illius in omni spatio. Qua enim ratione præsentia necessariò est connexa, & coniuncta intimè cum re præsentè; eadem è conuersò negatio rei præsentis necessariò est connexa, & coniuncta intimè cum negatione præsentia propter inuersam, & similem, notissimamque connexionem, quam habent eontradictoria extremorum inter se connexorum. Itaque omnis negatio entis, quod per se ipsum esset in spatio locali, vt sunt præsentia, idcirco est in ipso spatio; quia inde per se formaliter remouet tale ens. Omnis verò negatio entis, quod non per se ipsum, sed per præsentiam superadditam esset in spatio locali, idcirco est in ipso spatio; quia intimè est connexa, & coniuncta

cum negatione talis præsentia in ipso eodem spatio existente.

Ex his pronum iam erit, argumenta statuere quæ ex Aduersarijs, aut aliunde contra statutam propositionem opponi possunt. Sit primum. Quando Petrus est Matriti, & non Romæ, vel est Romæ negatio Petri, vel non. Si primum, Habetur intentum. Si secundum. Ergo Romæ etiam est Petrus contra suppositionem. Nam, vndeunque de est negatio rei, ibi res ipsa debet esse. Cum vbiq; necessariò esse debeat alterutrum ex extremis contradictorijs. Respondeo, in casu posito, Petrum non esse Romæ dumtaxat per negationem suæ præsentia Romanæ; non item per negationem sui; malèque subinde inferri, debere esse Petrum Romæ ex eo, quòd non sit Romæ negatio eius; & falsò ad id probandum, supponi, vndeunque deest negatio rei, ibi rem ipsam esse debere. Dum autem ad huius probationem additur, vbiq; necessariò debere esse, alterutrum ex extremis contradictorijs; solenter est cauenda fallacia. Nam, si sit sermo de extremis contradictoriè oppositis respectiue ad aliquem locum, vt sunt præsentia Romana, & eius negatio respectiue ad Romam, verum est, alterutrum ex talibus extremis in tali loco necessariò debere esse. Si tamen sit sermo de extremis contradictoriè oppositis, non respectiue ad aliquem locum, sed tantum respectiue ad aliquem statum, vt sunt existentia cuiuslibet rei nulli loco affixæ, & negatio eius; quæ tantum opponuntur contradictoriè respectiue ad statum existentialem: tum quidem ambo eiusmodi extrema possunt deesse, de factoque sapissimè desunt ab infinitis locis. Quoties videlicet extremum possituum existit in aliquo loco, & tam ipsum, quam negatio eius ab alijs infinitis abest; ipsum quidem; quia præsentiam in illis non habet; negatio autem eius; quia deest ab statu existentiæ; & consequenter ab omni loco. Vnde patet, quam falsum sit vniuersaliter loquendo; vndeunque, deest negatio rei, ibi rem ipsam esse debere; & vbiq; debere esse alterutrum ex quibuslibet extremis contradictorijs.

Sed rursus contra hanc solutionem arguitur, Sicut, quando Petrus est Romæ, duo Romæ sunt, Petrus scilicet, & vbicatio eius Romana; ita quando Petrus existens alibi non est Romæ, duo à Roma deficiunt, Petrus scilicet, & eius vbicatio Romana. Neutrum quippe horum est Romæ in tali casu, vt constat. Ergo defectus amborum sunt Romæ, Quod ipsum est, esse Romæ amborum negationes. Hæc à Ratione est corrigenda imaginatio. Respondeo, quando Petrus alibi existens Romæ non est, deficere quidem à Roma tam Petrum, quam eius vbicationem Romanam, sed per solius vbicationis defectum; sicut per solius etiam vbicationis positionem ponuntur Romæ Petrus, & ipsa vbicatio, quando Petrus eo accedit per motum localem, prout dicebamus num. 203. Deficere enim à Roma Petrum, & eius vbicationem, aliud non est, quam Petrum, aliàs existentem, tali vbicatione carere. Quod solum importat negationem talis vbicationis. Sicut Petrum, aliàs existentem, carere tali, vel tali cognitione, solum importat negationem ipsius cognitionis. Quemadmodum etiam è contra, esse Petrum, & eius vbicationem Romæ, aliud non est, quam Petrum, aliàs existentem, talem vbicationem habere. Quod solum importat supra existentiam Petri.

297

208

Petri (quæ considerata præcisè nullibi est) existentiam vocationis. Ex quibus patet, quomodo Petrus, & eius vocatione Romana possint Romæ non esse, quia Romæ sit negatio Petri, per hoc solum, quod Romæ sit negatio vocationis.

309 Tertiò obijcit Carleton vrgentiùs suo iudicio. Vocatione, quam Petrus habet Matrìti, Romæ non est, vt constat. Ergo Romæ est eius negatio. Modò enim nequit recurri ad negationem vocationis rei absentis à Roma; cum sit res abfens à Roma, de qua nunc agitur, vocatione: quæ, sicut, vbi est, per se ipsam, & non per alteram vocationem est, ita, vnde abest, per sui negationem, & non per negationem alterius vocationis abest. Igitur rei existentis alibi potest esse negatio Romæ. Quo tota ruit nostra doctrina. Respondeo, vocationem, quam Petrus habet Matrìti, non deficere à Roma per sui negationem, sed per negationem alterius vocationis, cuius negatio est Romæ, prout explicabimus proposit. 3. Atque ita negationem vocationis existentis Matrìti nec Romæ, nec vllibi esse. Quo tota nostra doctrina firma, persistit.

310 Quartò obijci potest. Rei existentis in aliquo spatio temporali datur negatio in alio: hodie enim non solum est negatio durationis hodiernæ Antichristi, sed est negatio ipsius Antichristi; qui tamen est futurus existens in alio tempore subsequente. Ergo similiter rei existentis in aliquo spatio locali potest in alio dari negatio. Concesso antecedente; nego consequentiam. Differunt enim spatia localia, & temporalia, quòd localia, qua ratione sunt, simul sunt; temporalia verò successiue fluunt: atque adeò tunc solum simpliciter sunt, quando præsentia sunt: solum namque tempus præsens simpliciter est, qua ratione est: quia præteritum iam non est; & futurum nondum est. Hinc autem fit, vt res existens in quouis loco simpliciter existat; atque ita in alijs locis, vnde abest, negatio eius dari non possit. Res verò existens in quouis tempore non item: quia solum existit simpliciter, quæ existit de præsentia: secus, quæ existit de præterito, aut de futuro existit. Atque ita perinde datur de præsentia negatio rei de præsentia non existentis, quæ vel existit, vel existet; ac si nunquam habuisset, aut esset habitura existentiam. Vnde concluditur, rem hic non existentem, si existit alibi, per solam negationem suæ præsentia deesse hic: rem verò non existentem nunc, per negationem tum sui, tum suæ durationis deesse nunc, quantumuis vel antea extiterit, vel sit postea extitura. De quo etiam nonnulla diximus in Pharo Scient. disput. 10. quæst. 4. Et plura dicemus infra disput. 8. quæst. 7.

311 Quintò denique potest obijci. Sequi ex nostrâ doctrinâ, quando desuit existere res, quæ in aliquo loco existebat, negationem eius deuo non poni non solum in eo ipso loco, sed etiam in cæteris omnibus infinitis, vbi antea non erat. Hoc autem videtur absurdum. Primò, quia ibi tantum potest poni negatio, vnde tollitur res negata; res autem negata in casu nostro ab eo tantum loco tollitur, vbi spoliatur existentia, siue corrumpitur. Secundò, quia causa corrumpens rem in eum dumtaxat locum, vbi eam corrumpit, potest eius negationem inducere; secus in alia infinita loca à se vndequa-

que infinite distantia. Neque alia est excogitabilis causa, quæ ad illa possit dictam negationem extendere. Tertiò, quia, cum vnus rei vnica tantum detur negatio, statim, atque res corrumpitur in vno loco, negatio eius ad infinita integri spatij imaginarij per sui infinitas replicationes extenderetur; quo & motum, quemdam instantaneum infinite extensum, & quamdam immensitatem similem diuinæ subiret. Quæ omnia impossibilia videntur. Respondeo, concedendo sequelam; negandoque sequi ex illâ vllam absurdum. Fateor itaque, cum primùm res definit existere, extendi negationem eius ad omnem locum, sed absque vllò inconueniente. Primò, quia duplici titulo potest negatio poni in aliquo loco, vt supra num. 208. dicebam; vno, quia remouet ex illo rem cuius est negatio; altero, quia necessariò exposcit esse, intimè connexa, & coniuncta cum alterâ negatione tali loco affixâ. Negatio autem rei per se præcisè consideratæ nullibi existentis, de qua tractamus, non priori, sed posteriori titulo incipit esse in omni loco, cum primùm ipsa res definit existere. Atque ita non ideo ponitur in omni loco; quia remouet per se, & formaliter ab omni loco dictam rem; vt sicnamque solum remouet illam ab statu existentiæ præcisè; sed quia remouet consequenter, hoc est, quia cum negatione præsentia eius in omni loco est intimè connexa. Secundò, quia, vt quæuis negatio extendatur ad omnem locum, non magis indiget causâ, quàm, vt sit: ad neutrum autem illâ indiget; quia reuera est nihil, in meroque non esse consistit: & certum est ad non essendum, atque adeò nullibi essendum nullâ causâ opus esse. De quo plura suo loco, vbi de causis sermo fit. Tertiò, quia, extensio dictæ negationis ad omnem locum, per nullum ipsius motum, nedum per infinitum, fit: tum quia, quod nihil est, non mouetur; tum quia concipienda non est vt transiens de vno ad alium locum, sed vt pullulans in omni statim, atque res negata incipit non existere. Iam talis negationis immensitas timenda non est; cum potius defectus immensitatis, quàm immensitas sit. Quod autem ea omni loco, in quo Deus est, correspondeat quid inuestigat? Cum talis correspondentia potius sit defectus quidam correspondentia.

Vnum hic animaduerto contra Carleton, 212 non bene ab ipso concipi, adstruique negationem vnusculque rei diuisibilem quoad extensionem penes diuisibilitatem extensionis totius spatij localis, ad quod illa extenditur, ita quidem, vt negatio Petri purè possibilis, quæ modò est Romæ, distincta sit à negatione eiusdem Petri, quæ modò est Matrìti; similiterque in cæteris omnibus partibus totius spatij localis circumquaque infiniti totidem eiusdem Petri sint negationes inter se distinctæ partiales vnâ integram componentes replentem totum spatium ipsum. Hoc, inquam, non bene dictum est. Quia quæuis negatio hoc ipso, quod aliud non est, quàm non esse rei, omnimodis proportionata ipsi rei poni debet. Atque ita vnus rei vnica ponenda est negatio; & plurimum rerum, totidem omnino negationes ponendæ sunt, & rei indiuisibilis negatio etiam indiuisibilis est adstruenda; rei verò quæuis ratione diuisibilis negatio similiter diuisibilis, & ei prorsus æqualis. Quo posito, dicendum est, nullam negationem

rei aut indivisibilis, apt extensionis limitatæ replere totum spatium locale infinitum per suarum partium distributionem, sed per sui totius, aut etiam suarum partium replicationem ad integram totius dicti spatij repletionem accommodatam. Itaque qua ratione res per sui totius, aut etiam suarum partium, accommodatam replicationem totum dictum spatium repletet, eadem censenda est replere illud negatio eius, quando res non existit. Ex quo patet, negationem existentem Romæ Petri purè possibilis eandem numericè esse cum negatione eiusdem Petri existente Matrili, & cum existente Toleti, & in cæteris huiusmodi locis.

Propositio 3.

213 Quoties in rerum naturâ, atque adeo in suo proprio spatio locali existit ubicatio aliqua, (idemque est de quolibet ente alicui spatio locali determinato per se ipsum affixo), in nullo alio spatio locali datur negatio eius.

Hæc etiam propositio est contra Carleton, & Spinulam. Sed eisdem ferme argumentis, ac præcedens venit probanda, sua servatâ proportionem, ut cuique applicanti illa innoscet. Univerſaliter enim quoties res qualibet existit in rerum naturâ, necesse est, ut in rerum naturâ non existat eius negatio. Quidquid autem in rerum naturâ non existit, eo ipso nullibi existit. Sumantur cætera, quæ ad præsentem facere possunt ex proced. proposit.

214 Obijci tamen insuper contra hanc potest. Ubicatio existens Matrili Romæ non est, sed non deest à Româ per negationem alterius ubicationis; quia ubicationis non est dabilis ubicatio altera superaddita. Ergo deest per se ipsam. Quod ipsum est esse Romæ negationem eius. Respondeo ut supra n. 209. ubicationem existentem Matrili deesse à Româ non per sui negationem, quæ in rerum naturâ non est, atque ita nec Romæ esse potest iuxta dicta, sed per negationem alterius ubicationis, per quam sibi superadditam ubicatio Matritensis præfens Romæ potest excogitari; siue hæc Romana ubicatio superaddita Matritensi sit possibilis, siue impossibilis. De quo inferius quæst. 15. agetur. Est enim sit impossibilis, per veram nihilominus sui negationem excluditur à naturâ rerum: quia ex genere earum chymararum erit, quæ quiditatem in se habent ex suo conceptu obiectivo iuxta doctrinam datam in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 3. & 4. & disput. 10. quæst. 4. & disput. 11. quæst. 2. Quo fit, ut per negationem talis Romanæ ubicationis possit ubicatio Matritensis à Româ deesse æquæ, ac per negationem ubicationis Romanæ sibi possibilis Petrus existens Matrili deest à Româ iuxta doctrinam statutam proposit. 2.

215 Instabis. De ubicatione existente Matrili non solum est verum, eam non esse Romæ præsentem per Romanam sibi superadditam ubicationem; sed etiam est verum, eam non esse Romæ præsentem per se ipsam, uti Matrili præfens est. Ergo non solum deficit ea à Româ per defectum dictæ Romanæ ubicationis, sed etiam per defectum sui met. Ergo non solum datur Romæ defectus, siue negatio dictæ Romanæ ubicationis,

sed etiam defectus, siue negatio ipsius met ubicationis existentis Matrili. Respondeo primò. Etiam de Petro existente Matrili non solum est verum, eam non esse Romæ præsentem per Romanam sibi superadditam ubicationem, sed etiam est verum, eam non esse Romæ præsentem per suam met entitatem præcisè, ut constat. Ex quo patet, per argumentum factum nihil obtendi ad rem speciale pro ubicationibus alicui spatio locali per se ipsas affixis, quod non sit commune pro alijs rebus non affixis per se ipsas vno spatio locali. Quare pro utrisque respondeo secundò. Hoc, quod est, non esse per se ipsam præsentem Romæ quamlibet rem diversam ab ubicatione, Romanâ, nullam realem, & veram negationem, importare in suo reali conceptu; quia solum importat negationem identitatis chymaricæ talis rei cum prædicato essendi per se ipsam Romæ proprio ubicationis Romanæ, quæ nostro duntaxat modo concipiendi est negatio; quia identitas chymarica, quam remouet, ex genere chymararum est duntaxat per species alienas, atque adeo in alienis substitutis conceptibilibus, nullamque subinde in se ipsis quiditatem habentibus; & consequenter per nullam veram negationem ex rerum naturâ, siue ex statu existentiæ exclusarum, iuxta doctrinam de huiusmodi chymaricis traditam in Pharo Scient. locis paulo ante citatis. Itaque perinde est, rem diversam ab ubicatione Romanâ per se ipsam non esse Romæ, atque esse eam distinctam ab omni re per se ipsam affixâ Romæ. Quæ veritas quædam est positiva nullam importans negationem; qualis est omnis distinctio reuera extremorum positivorum; tamen sæpe ea à nobis concipiatur, æquivalenterque adstruatur per negationem identitatis eorum; prout insuper in Pharo Scient. disput. 13. quæst. 2. explicatum est. Ex quibus tandem liquet, hoc, quod est, ubicacionem existentem Matrili non esse Romæ, loquendo absolute, solum dicere negationem ubicationis Romanæ seu possibilis, seu impossibilis, qua ubicatio Matritensis præfens Romæ concipi potest, etiam per proprias species.

Propositio 4.

Quoties ens aliquod ex indifferentibus suo apte conceptu ad essendum ubilibet, siue illud sit possibile, siue impossibile, in rerum naturâ non existit, negatio eius ubique, siue in omni spatio locali est.

Quia, supposito, quòd tale ens non existit, & consequenter existit eius negatio, impossibile est, illud esse alicubi; atque adeo negatio eius cum negatione præsentis illius in omni spatio locali necessario est connexa, & quidem intimè, ut dicebamus supra num. 206. Quo titulo ea in omni spatio locali censetur esse, uti ibi exposuimus. Vtrum autem per se dicenda sit esse in illo, vel per negationem præsentis, cum qua connectitur, quæstio de modo loquendi erit. Eatenus enim esse per se poterit dici, quatenus per se est necessario determinatâ ad essendum ibi. Eatenus verò per negationem præsentis, quatenus per hanc, non per se formaliter, remouet inde ens, quod negat; cum illud per se formaliter solum remoueat ab statu existentiæ præcisè; prout dicebamus loco citato.

Pro-

Propositio 5.

Propositio 1.

217 Quoties vocatione qualibet (& idem est de quouis ente affixo suapte essentiâ spatio locali determinato) in rerum naturâ non existit, negatio eius vbique, siue in omni spatio locali est.

Quia, supposito, quod talis vocatione non existit, & consequenter existit eius negatio, impossibile est, eam esse alicubi; atque adeo negatio eius cum negatione præsentia illius in omni spatio locali connexa necessariò, & intimè est, eoque saltem titulo præsens in omni loco iuxta dicta proposit. 4. Dico autem saltem; quia negatio vocationis in eo spatio, cui per se affixa esset vocatione ipsa, si existeret, speciali insuper titulo præsens est; nimirum, quia inde per se ipsam excludit talem vocationem iuxta dicta proposit. 1.

218 Itaque negatio cuiuslibet entis siue affixi, siue non affixi per se alicui spatio locali determinato vbique est, quando tale ens non existit, titulo necessariè, & intimè connexionis quam habet cum negationibus omnium vocationum siue possibilium, siue impossibilium, quibus sibi superadditis tale ens in omnibus, aut in singulis spatijs localibus præsens potest excogitari; (siue per se, siue per tales negationes vocationum vbique esse dicatur iuxta dicta circa proposit. 4.) Præter hunc autem titulum communem omni negationi ad essendum vbique, negatio entis affixi alicui determinato spatio speciali titulo est præsens per se in spatio ipso, videlicet quia inde per se formaliter remouet tale ens.

219 Ex quibus omnibus apparet, quibus in locis siue spatijs sint negationes entium. Et qualiter, Quod erat propositum questionis.

QVAESTIO X.

Virum veritates quiditatiue entium non existentium tum possibilem, tum etiam impossibilem aliquâ ratione dici possint esse in loco, siue in spatio locali. Et qualiter.

220 Suppono primò ex dictis de statibus rerum, in Pharo Scient. disput. 10. infinitas esse veritates quiditatiuas, seu pertinentes ad statum quiditatum entium non existentium tam impossibilem, quam possibilem. Cuiusmodi sunt in homine nunquam exituro, esse animal rationale, esse risibilem, esse possibilem, &c. & in secundò Deo chymarico, esse secundum Deum, esse ens à se ex conceptu suo, esse chymaram impossibilem, &c.

221 Suppono secundò, eiusmodi veritates quiditatiuas neque in loco, neque in tempore dici esse; loquendo cum omni proprietate, & rigore; quia solum censentur esse in loco, & in tempore cum omni proprietate, & rigore res actu existentes, quales non sunt dictæ veritates. Difficultas igitur est in præsentibus, an aliquo modo, tamen minus proprio, eiusmodi quiditatiuæ veritates in loco siue in spatio locali dici possint esse.

222 Ens siue possibile, siue impossibile, quod suapte essentiâ ita est affixum spatio locali determinato, vt non posset non in eo esse præsens, si existeret, etiam quiditatiuè consideratum, dum non existit, venit dicendum in tali spatio esse, in eoque subinde omnes suas veritates quiditatiuas habere.

Quia vna ex veritatibus quiditatiuis talis entis cæteras omnes cum ipso identificatas transcendens est, illud de suo tali spatio correspondere, siue ipsi affixum esse. Sic vocatione Matritensis possibilis etiam quiditatiuè considerata, dum non existit, Matriti esse quoad quiditatem, quoad omnesque suas veritates quiditatiuas dicenda est; quatenus suapte essentiâ habet, esse præsentiam spatio locali Matritensi correspondentem quoad totam suam physicam entitatem. Tantundemque est de vocatione Matritensis impossibili hoc ipso, quod suapte conceptu est vocatione Matritensis. De cæterisque similibus entibus.

Propositio 2.

223 Ens siue possibile, siue impossibile, quod suapte essentiâ est indifferens ad existendum in quouis spatio locali ex hypothese, quòd existat, ad subeundamque proinde ex eadem hypothese præsentiam superadditam cuius spatio locali correspondentem iuxta doctrinam statutam, quæst. 1. tamen conceptum seorsim cum præcisione ab omni præsentia nullibi esse concipiatur, re tamen ipsa quoad suam quiditatem, quoad omnesque suas veritates quiditatiuas vbique, siue in omni spatio locali esse dicendum est, quantumuis existens non sit.

Quia huiusmodi ens, licet prout præcisum ab omni præsentia superaddita nullibi concipiatur esse, non solum quando quoad esse quiditatum, sed etiam quando quoad esse existentiale concipitur; eo quòd à solâ præsentia superaddita fortiri potest, esse alicubi, re tamen ipsa, quia intra statum quiditatum consortium habet cum proprijs præsentibus correspondentibus suapte essentiâ omnibus omnino spatijs localibus, non potest non intra talem statum ab ipsarum quiditate fortiri, esse quoad quiditatem vbique; vti ab earundem existentia fortiretur vbique esse quoad existentiam, si simul cum illis existeret, cum eisdemque subinde haberet consortium intra statum existentialem. Idque loquendo de præsentibus tum diuisibilibus, tum indiuisibilibus quoad extensionem localem, quæ vnicuique enti sunt possibile iuxta doctrinam statutam quæst. 4. Cuius ratio conspicua est. Quia, sicut, quod haberent omnes dictæ præsentia per se existentialem, si existerent, id habent quiditatiuè, dum non existunt, nempe esse vnamquamque in proprio spatio iuxta dicta proposit. 1. ita, quod præstarent omnes dictæ præsentia eiusmodi enti existenti.

stencialiter, si existerent; id præstant ipsi quiditatiuè, dum non existunt, nempe collocare illud in omnibus suis proprijs spatijs, atque adeò ubique. Etenim, ut est essentialiter præsentia Matritensi eiusmodi entis existeret Matriti, si existeret; ob idque dicitur etiam quoad quiditatem esse ea in spatio Matritensi, dum non existit iuxta proposit. 1. ita coniunctio ex tali præsentia, & tali ente sumpto indiuisim est essentialiter existeret Matriti, si existeret, ob idque illud pariter etiam quoad quiditatem dici debet esse in spatio Matritensi, dum non existit. Tantumdemque est de coniuncto eiusdem entis, & qualibet alia omnium suarum præsentiarum omnibus omnino spatijs localibus suapte essentialiter correspondentium. Quocirca non potest non tale ens ab omnibus simul quoad quiditatem dici esse ubique: cum non possit non cum omnibus illis quoad quiditatem reuera consortium habere.

224 Et quoniam, ut inferius probabo quæst. 15, proposit. 6. etiam ens inapte essentialiter affixum vni spatio locali determinato, ut vbiatio Matritensis spatio Matritensi, de potentia Dei absoluta potest per superadditam præsentiam alibi in super collocari. Consequens est, ut etiam ens vni spatio determinato affixum, dum non existit, non solum in tali spatio, cui per se correspondet, quoad quiditatem esse veniat dicendum, sed etiam in omnibus alijs, quibus correspondent suapte essentialiter omnes præsentia superaddita possibiles ipsi. Hoc enim manifestè sequitur ex doctrinâ traditâ pro præsentia propositione. Unde rursus manifestè consequitur; si omnia entia spatijs determinatis affixa possint de potentia Dei absoluta in omnibus alijs spatijs per superadditas præsentias collocari, ut est verisimile, suppositâ doctrinâ tradendâ loco citato; omnia item talia entia æquè, ac quæ sunt indifferentia ad essendum vbi libet, de facto venire dicenda, esse quoad quiditatem ubique, siue in omni spatio locali. De quo, suppositis dictis, non licet dubitare.

225 Addendum tamen est, etiam si enti affixo alicui spatio determinato sint impossibiles præsentia superaddita, quibus illud in cæteris omnibus spatijs in super collocetur existentialiter; quiditatiuè verò in illis omnibus per tales præsentias collocari dicendum nihilominus esse. Quia cum eiusmodi præsentia quantumuis impossibiles suapte conceptu sint reuera intra statum quiditatiuum præsentia talis entis in talibus spatijs; nec possunt ipsa quiditatiuè sumpta non esse suis spatijs affixa, atque adeò habentes esse in illis iuxta proposit. 1. nec possunt non præbere esse quiditatiuè in eisdem enti, cuius præsentia sunt; nec possunt subinde coniuncta ex talibus præsentia, & tali ente non eisdem spatijs quiditatiuè correspondere indiuisim, quibus præsentia ipsa per se correspondent, iuxta dicta nuper pro hac proposit. 2. Itaque in omni sententia de possibilitate, aut impossibilitate dictarum præsentiarum vniuersaliter est dicendum, omne ens sine non affixum, siue affixum determinato spatio in omni omnino spatio consideratum quiditatiuè cum omnibus suis veritatibus quiditatiuis habere esse. Idque tum per præsentias diuisibiles penes diuisibilitatem spatij, tum per indiuisibiles per sui replicationem correspondentes spatio diuisibili, eoque vel finito, vel infinito aut partiali, aut totali.

Ex quibus omnibus inferetur, nullum esse, 226 excogitabile ens siue possibile, siue impossibile, (loquor semper de impossibilibus habentibus in se quiditatem iuxta doctrinam datam in Pharo Scient. disp. 11.), quod consideratum quiditatiuè non respondeat omnibus omnino spatijs localibus vna cum omnibus suis passionibus, cum omnibusque suis vbiationibus tam impossibilibus, quam possibilibus, tam correspondentibus etiam quiditatiuè sumptis per se ipsas, quam per alias superadditas eisdem spatijs.

Ex quo tandem sequitur, in singulis omnino 227 partibus (mea sententia indiuisibilibus) totius spatij localis circumquaque infiniti esse intra statum quiditatiuum omnia omnino entia excogitabilia à Deo cognita tum impossibilia, tum possibilia (sub quibus vbiationes etiam comprehendendo). Atque ita in singulis partibus, siue indiuisibilibus dicti spatij intra statum quiditatiuum infinites infinita aggregata esse entium, quorum multa possibilia, pleraque verò impossibilia sunt relatè ad existentiam. Hoc tamen non interest ad rem; cum veram nihilominus, à Deoque verè iudicabilem, quiditatem habeant intra talem statum, ut ponimus ex dictis disput. 11. citatâ Phari Scient.

Supererat hic inquirendum, an etiam veritates 228 conditionatæ tum quiditatiuæ, tum existentiales, quæ entibus absolute non existentibus reuera conueniunt iuxta doctrinam de eorum statibus traditam in Pharo Scient. disp. 10. etiam dicenda sint aliquo modo esse, in locis, siue in spatijs localibus, Et in quibus. Cui quæstioni respondeo breuissimè; in ijs spatijs localibus dici debere veritates conditionatas esse, in quibus essent absolute ipsi correspondentes casu, quod earum conditiones purificatæ essent. Quia vbi vnumquodque absolute esset reuera casu, quod purificaretur conditio, sub qua est verum conditionatè, ibi absque dubio venit dicendum esse illud sub conditione, dum non est purificata conditio, sed tantum supposita per hypotheseim. Et quoniam veritates quiditatiuæ absolute vbi que sunt iuxta dicta proposit. 1. & 2. Eodemque iure vbi que erunt, veritates quiditatiuæ conditionatæ, si purificatis conditionibus transeant in absolutas; vbi que pariter dicenda sunt esse iam modò ipsa veritates conditionatæ. Quoniam item omnis veritas existentialis absoluta in aliquo, aut in aliquibus, aut in omnibus spatijs localibus est; quia non potest quidpiam existeret, & nullibi existeret, ut quæst. 3. statuimus; proindeque vnaquæque veritas conditionata existentialis, si purificata conditione in absolutam transiret, in aliquo similiter, aut in aliquibus, aut in omnibus spatijs localibus esset. Consequens est, ut etiam nunc vnaquæque conditionata veritas existentialis in eo, aut in ijs spatijs localibus dicenda sit esse, vbi esset in absolutam transacta per purificationem conditionis.

Vnum hic nota, quemadmodum de verita- 229 tibus quiditatiuis absolutis, aut de conditionatis tum quiditatiuis, tum existentibus entium, absolute non existentium dicitur, eas esse reuera in spatijs localibus; ita etiam dici posse de veritatibus similibus entium absolute existentium esse in spatijs localibus, prout in suis statibus concipiuntur, & reuera sunt antecedentur ad existentiam absolutam talium entium, & præcindendo ab illâ. De verisque enim prout in suis statibus præcipientibus ab existentia absoluta eadem, quod ad rem atinet, ratio est.

QVE.

QVÆSTIO XI.

Virum plura entia in eodem loco simul possint existere.

230 **Q**uæstio est de potestate tam naturali, quam supernaturali. Deque loco tum imaginario, tum reali.

Propositio 1.

231 Plura accidentia simul existunt naturaliter, atque adeo existere possunt, vnâ cum substantiâ, cuius sunt accidentia, in eodem spatio locali, in eodemque loco reali.

Propositio est certissima, & experientia nota. Quoniam vnaquæque substantia, etiam corporea, secum habet, & inter se penetrata in eodem spatio, & loco, vt ipsa est, pleraque suorum accidentium, vt calorem, frigus, humiditatem, siccitatem, colorem, saporem, odorem, &c. vt videmus. Ratio autem est. Quia talia accidentia neque inter se, neque cum suâ substantiâ habent vllam oppositionem in ordine ad locum.

Propositio 2.

232 Plures substantiæ spirituales, etiam completæ, vt plures Angeli, naturaliter possunt esse simul in eodem spatio locali: atque adeo etiam in eodem loco reali.

Sententia est communis. Quam cum Scotus, Ocham, Molin, Vazq. & alij contra nonnullatè tradit Soar, lib. 4. de Angel. cap. 9. Probaturque prinum ex scriptura Marc. 5. & Lucæ 8. Vbi narratur, legionem dæmonum fuisse intra vnus hominis corpus. Non enim credibile est, eorum singulos per singulas hominis particulas fuisse dispersos; sed vel omnes cum toto homine, vel plures cum aliqua hominis parte, atque adeo inter se in eodem spatio penetratos fuisse.

133 Deinde probatur ratione. Quia, cum Angeli non habeant corpus, cuius vnus videtur esse, loquendo naturaliter, locali penetrationi resistere, non est cur nequeant se se ipsos penetrare localiter tum naturaliter, tum etiam pro arbitrato suo. Et quidem certum secundum fidem est, eos cum corporibus penetrari huius Mundi corporei, dum intra illum existunt, atque mouentur; dum corpora assumunt; dum homines obsident, intraque eorum corpora resident; vt constat ex fide. Similique certitudine est certum, eos penetrari cum animabus rationalibus. Cur igitur inter se inuicem penetrari non poterunt? quandoquidem difficilius videtur, spiritum penetrari cum corpore cum alio corpore impenetrabili, quam spiritum penetrari cum alio spiritu non impenetrabili cum corpore. Animam etiam rationalem cum corpore, cuius est forma in eo-

dem loco penetrari, ad certitudinem fidei pertinet.

Hæc dicta sunt de penetrabilitate Angelorum, aliarumque substantiarum spiritualium per præsentias definitiuas ipsis connaturales, quales habent de facto. Non tamen videtur negandum, esse illis possibiles alias præsentias supernaturales adeo inter se, & cum his, quas habent, oppositas in ordine ad idem spatium, vt per illas impenetrabiles inuicem redderentur.

Propositio 3.

235 Plura corpora naturaliter non possunt penetrari localiter; atque adeo neque in eodem loco reali simul existere.

Adeo est hæc propositio cunctis per experientiam nota, vt nullâ probatione indigat. Solum potest circa illam in dubium verti, à quoniam corpora habeant, naturaliter in eodem loco penetrari non posse. Circa quod concursus imprimis omnium Doctorum sententia est, impenetrabilitatem localem, quam habent inter se omnia corpora, ab eo ente reperto in omnibus provenire, quod vulgo quantitas vocatur, & à me quantitas specialis dicitur ad differentiam quantitatis in genere, qua latius patet; siue huiusmodi quantitas sit accidens integræ substantiæ corporeæ additum, siue sit ipsa materia prima, ex qua componitur substantia corporea, iuxta diuersas opiniones, de quibus suo loco.

Est tamen difficultas, quo pacto corpora ratione dictæ quantitatis sint inter se impenetrabilia localiter. Nonnulli censent, id eis competere in genere causæ efficientis, quatenus vnumquodque corpus à se pellit quoduis aliud, nec sinit in suum locum intrare per impulsum impressum illi. Alij opinantur, impenetrationem corporum à qualitate quadam debita quantitati nasci. Communis tamen sententia est, impenetrabilitatem corporum ab eorum quantitate præcisè nasci, ratione cuius veluti in genere causæ formalis sunt inter se incompatibilia, & opposita in ordine ad idem spatium locale; ad eum modum, quo calor, & frigus, & alia huiusmodi accidentia incompatibilia sunt, & opposita in ordine ad idem subiectum. Ita sentiunt Cominbric. lib. 4. Phys. cap. 5. quæst. 4. artic. 2. Rub. ibid. quæst. 6. num. 71. Arriag. disput. 14. sect. 7. Franc. Alf. disput. 22. sect. 9. Card. Lugo tom. de Sacram. disput. 5. de Euch. sect. 1. Et alij communiter. Quibus ego subscribo.

237 Quoniam impenetrabilitas localis corporum nihil est aliud, quam quædam incompatibilitas, ac veluti oppositio eorum in ordine ad idem spatium locale, vt satis ex se est notum. Hæc autem imprimis non est idem formaliter cum vi impulsuâ, qua quoduis corpus valet à se impellere aliud; quia posse aliud corpus impellere, à seque medio impulsu proijcere, & ei opponi in ordine ad locum, diuersa prædicata sunt formaliter, vt satis ex se est notum: imo separabilia sunt: nam, vt dicemus postea, Angelus habet vim proijciendi à se corpora per impulsu illis impressu; cum quibus tamen localiter penetrabilis est. Sed est prædicta prædicata sint inter se connexa, vt fortasse sunt in corporibus; certè prior est impenetrabilitas, quam

quàm vis impulsiva. Ideo enim vnum corpus à se aliud pellit; quia cum illo est incompatible in eodem spatio; non verò è contra. Igitur impenetrabilitas localis, quam corpora habent, non solum non est idem formaliter cum eorum vi mutuò impulsivà, sed neque ab illà trahit originem, sed potius è conversò.

238 Deinde, quòd neque trahat originem à qualitate aliquà adiectà, sed quantitates speciales corporum per se præcisè impenetrabiles, siue incompatibiles sint in ordine ad locum, constat: quia impenetratio actualis nequit in qualitate consistere, vt quidam somniant; cum nihil aliud sit, quàm negatio coexistentiæ præsentiarum ipsorum corporum in eodem spatio locali. Nec potest qualitas subservire, vt impenetratio actualis corporibus debita sit: si quidem iam à quantitate habent, quòd eis sit debita. Ad nihil ergo opus est, aliquam qualitatem adijcere.

239 Itaque, quemadmodum frigori, & calori vt octo iure naturali debitum est, vt non vniantur simul eidem subiecto; proindeque naturaliter est necessarium ad hoc vt vniatur frigus vt octo, quòd calor vt octo à tali subiecto expellatur; sic duobus, aut pluribus corporibus quantitate speciali præditis iure naturali debitum est, vt non ponantur præsentia simul in eodem spatio locali; atque adeò naturaliter est necessarium ad hoc, vt vnum corpus præfens ponatur in aliquo spatio, in quo aliud est præfens, quòd hoc à tali spatio expellatur.

Propositio 4.

240 Plura corpora supernaturaliter benè possunt penetrari in eodem spatio locali; atque adeò simul in eodem loco reali esse.

Hæc propositio certa inter Doctores Catholicos & sine controuersia est. Qui propterea fere notant Durandum, quòd ab eà disceserit. Illamque tradunt Patres communiter Leo Mag. Serm. 2. de Natiuit. Cyrill. Hieros. in orat. de Christi occurfu, & Simeonis Greg. Mag. in quadam homil. de oct. Pasch. Damasc. lib. 4. Fidei cap. 19. August. lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 8. & lib. de quinque hæres. aduers. Manich. & alibi. Iustinus mart. in qq. gent. quæst. 117. & alij. Et probatur primò ex Scriptura docente, Christum dominum illæso Virginis Matris vtero natum fuisse; clauso sepulchro surrexisse; ianuis clausis ad discipulos intrasse; ac denique, cum ad Patrem ascenderet, celos penetrasse. Secundò: quia omnia Beatorum corpora per supernaturalem dotem subtilitatis cum alijs quibusque corporibus penetrabilia fore, certa etiam Theologorum sententia est. Tertio: quia nihil est, quòd veter, Deum de potentia absolutà aut contra, aut vltra debitum rerum naturale operari; quandoquidem sæpe ita operatus est, patrando miracula; vt pote qui non tenetur naturæ legibus, cuius, & quarum Auctor est. Sed ponere plura corpora in eodem loco penetrata, nihil aliud præfert à coniunctione præsentiarum eorum ipsis indebità, ipsorum ve iuri naturali aduersanti; simpliciter tamen possibili, vt pote nullam implicante contradictionem, Igitur nihil est, quòd veter, à Deo de potentia absolutà plura corpora penetrari localiter.

Quod si plura corpora diuinitus possunt penetrari localiter, retentis omnium extensionibus, siue præsentij circumscriptiuis, aliàs seorsim ipsis connaturalibus, vt argumenta facta probant; multò melius poterunt penetrari diuinitus duo corpora, quorum alterum præsentiam circumscriptiuam, & alterum præsentiam definitiuam habeat in eodem spatio locali. Quo pacto penetrantur de facto corpus Christi domini, & quantitas specierum sacramentalium in Eucharistia, Et adhuc melius duo corpora, quorum vtrumque præsentiam definitiuam habeat.

Sed dubitari hic potest. An, supposità in aliquo corpore præsentia definitiuà, naturaliter, & absque nouo miraculo possit quoduis aliud corpus penetrari cum illo, vt potest cum Angelo præsentiam definitiuam habente. Affirmant Car. Lugo disput. 5. de Euch. sect. 7. num. 172. Franc. Alf. disput. 2. Phys. sect. 6. & alij communiter aut experientes, aut supponentes, supposità præsentia definitiuà, quom corpus Christi domini habet in Eucharistia, absque nouo miraculo posse illud cum alijs corporibus penetrari, atque de facto penetrari cum quantitate panis, & vini. Ego vero pro resolutione huius dubij.

Suppono primò, quadruplicem esse possibilem præsentiam definitiuam corporis iuxta diuisionem traditam supra quæst. 4. Aliam diuisibilem penes diuisibilitatem tum spatij, tum etiam subiecti. Aliam, quæ penes diuisibilitatem solius spatij, non item subiecti sit diuisibilis. Aliam è contra diuisibilem penes diuisibilitatem solius subiecti, non item spatij. Aliam denique indiuisibilem omnino. Suppono secundò, præsentias horum trium generum posteriorum non posse non esse supernaturales quoad substantiam, essentialiterque diuersas à præsentia circumscriptiuà, quam naturaliter omnia corpora habent: quia præsentia naturalis circumscriptiuà corporum neque partialiter, neque totaliter est replicata naturà suà aut in subiecto, aut in spatio, aut in vtroque, sicut illæ. Solum ergo de præsentia primi generis potest in dubium verti, an possit esse naturalis in suà substantià, à præsentiaque circumscriptiuà corporum non diuersa essentialiter. Pro quo suppono tertio, aut posse sermonem procedere iuxta sententiam componentem continuum ex partibus in infinitum diuisibilibus aut solis, aut indiuisibilibus associatis; aut iuxta sententiam componentem continuum ex solis indiuisibilibus. Quibus suppositis.

Censeo primò cum Arriaga disput. 1. de Anim. sect. 4. nu. 112. & alijs doctis Recentioribus, si continuum ex solis punctis componitur, possibilem esse præsentiam definitiuam corporis ponentem totum corpus in toto spatio, & totum in singulis partibus spatij, quæ solum quoad modum sit supernaturalis, ex accidentique dumtaxat, non verò essentialiter sit diuersa à præsentia circumscriptiuà, quam habent corpora naturaliter. Nihil enim vetat, poni à Deo imprimis singula puncta corporis in singulis punctis spatij per eadem omnino puncta præsentia, per quæ ponerentur circumscriptiuæ. Deindeque per totidem puncta eiusdem naturæ, quot sunt puncta spatij, poni quoduis punctum corporis replicatum in omnibus punctis spatij. Ac demum per totidem puncta eiusdem etiam naturæ, quot sunt puncta corporis, poni omnia puncta corporis in quouis puncto spatij penetrata. Ita enim fieret, vt per præsentiam quoad suam substantiam naturalem,

ex

ex accidentique dumtaxat diuersam à naturali circumscriptione esse totum corpus præsens in toto spatio, & totum in singulis eius partibus, atque adeo definitiue; quin vltimè esset punctum præsentia, per quod idem in eodem spatio idem punctum corporis non poneretur circumscriptione, si aliter corporis puncta, vt possunt, disponentur. Dico igitur, corpus hoc pacto præsens definitiue nullatenus cum alijs corporibus fore penetrabile naturaliter: quia talis præsentia, vt pote eiusdem essentia cum alijs circumscriptionibus naturalibus, æque, atque ista, respueret consortium aliorum corporum in eodem spatio. Adde tamen, sine fundamento idoneo supponere Arriagam supra, præsentiam Christi domini in Eucharistia esse huius generis de facto; quando tot alia diuersorum generum præsentia definitiue corporum possibiles sunt.

245 Censeo secundò, stando adhuc in sententia componente continuum ex solis punctis, possibilem esse etiam præsentiam definitiuam primi generis quoad substantiam supernaturalem, diuersamque subinde specie à naturali circumscriptione. Talis enim erit, si vel omnium punctorum, eiusdem corporis in vnoquoque puncto spatij penetrationem, vel cuiusuis puncti eiusdem corporis replicationem in omnibus punctis spatij, vel vtrumque simul connaturaliter secum ferat. Quod tamen vtrumque præsentia circumscriptione naturalis connaturaliter respuit; atque adeo & definitiua prædicta, quæ ex accidente dumtaxat, non verò quoad substantiam ab ipsa circumscriptione diuersa est. Itaque triplex species huiusmodi præsentiarum definitiuarum supernaturalium iuxta triplicem combinationem factam possibilis est. Vtrum autem per earum aliquam fieret corpus penetrabile cum alijs corporibus, ex dicendis constabit.

246 Censeo tertio contra Arriag. & alios Recentiores, si continuum ex partibus in infinitum diuisibilibus, atque etiam ex indiuisibilibus compositum sit, impossibilem esse præsentiam definitiuam eiusdem speciei cum circumscriptioneponentem totum corpus in toto spatio, & totum in singulis partibus, & punctis spatij. Quoniam in datà hypothese nulla est pars præsentia circumscriptione, quæ ponat partem diuisibilem corporis in puncto spatij. Ergo positio totius corporis in puncto spatij per partes præsentia circumscriptione replicatas non potest fieri. Per alias ergo partes alterius essentia faciendâ est. Similiter nulla est pars præsentia circumscriptione, quæ ponat punctum corporis in spatio diuisibili. Ergo positio etiam cuiusuis puncti corporis in spatio diuisibili per partes alterius essentia faciendâ est. Tota ergo præsentia definitiua corporis in datâ hypothese necessariò debet esse alterius essentia à præsentia circumscriptione. Id quod etiam censeo, etsi continuum ex solis partibus in infinitum diuisibilibus componi dicatur. Licet probatio in hac hypothese nequeat esse tam facilis. Sed nolo in his amplius morari: quia hypotheses ista aliunde sunt mihi impossibiles iuxta dicenda infra disput. 10. de compositione continui. Pergo igitur &

247 Censeo quarto contra Card. de Lugo Franc. Alf. & alios commemoratos supra, non eo ipso, quòd aliqua præsentia definitiua corporis sit supernaturalis, alteriusque essentia à circumscriptione, ad quodcumque ex generibus supradictis illa pertineat, reddere corpus, quod afficit, cum

alijs omnibus penetrabile. Dato enim, quòd omnis præsentia definitiua corporis essentialiter à circumscriptione diuersa secum patiatur connaturaliter penetrationem partium eiusdem corporis gaudentium præsentia eiusdem rationis, non inde fit, passuram eam itidem penetrationem aliorum corporum gaudentium præsentia alterius rationis. Etenim oppositio corporum in eodem spatio, in qua consistit eorum impenetrabilitas, non tam ipsorum corporum, quam præsentiarum eorum oppositio est; sicut oppositio caloris, & frigoris vt octo vnionum potius eorum cum eodem subiecto est oppositio. Quid autem vetat, præsentiam vnus partis corporis cum præsentia eiusdem essentia alterius partis compatibilem esse in eodem spatio locali; & tamen non esse compatibilem cum præsentia diuersa essentia alterius corporis totalis? Imò nihil impedit, quominus sit possibilis præsentia corporis totalis cum præsentia aut eiusdem, aut diuersa speciei alterius corporis totalis in eodem spatio compatibilis, quæ tamen incompatibilis sit cum multis alijs diuersam essentiam habentibus. Stet ergo, multas esse possibiles diuersorum generum præsentias definitiuas corporis, quæ non reddant illud penetrabile cum alijs corporibus sine circumscriptione, siue definitiue præsentibus. Tametsi etiam sint multæ alia possibiles, quæ reddant.

Censeo tamen vltimo, quandoquidem, 248 vtrumque est possibile, per præsentiam definitiuam, quam corpus Christi domini de facto habet in Eucharistia, penetrabile reddi illud connaturaliter cum alijs corporibus circumscriptione præsentibus per naturales præsentias, quales de facto habent. Quia de facto penetratur illud cum quantitate panis, & vini, cum qua, ne sine necessitate multiplicemus miracula, connaturaliter penetrari, videtur dicendum. Pariter ergo cum alijs quibusque corporibus penetrabile erit. Siquidem omnium quantitas, & huius præsentia naturalis eiusdem rationis est cum quantitate panis, & vini, & eius naturali præsentia.

249 Secundò circa datam propositionem posset quis dubitare, quomodo se gerent duo corpora circumscriptione penetrata quantum ad actiones, & passiones. Respondeo, posset vt plurimum agere in alia corpora, & ab eis pati perinde, ac si penetrata non essent. Posset à se mittere species, quibus viderentur, vtique ambo videns tamen non discerneret duo; potius putaret, esse vnum tantum, etsi oppositos colores haberent; isti enim, ac si esset vnus color mixtus ex vtroque, apparent. De quo vide plura dicta à nobis in Pharo Scient. disput. 1. quæst. 2. Posset præterea dicta corpora in se vicissim agere. Localiter tamen moueri non posset naturali motu; neque ambo simul; quia vtrumque acquireret præsentiam intra spatium alterius; quod naturaliter repugnat; neque alterum solum; quia ante, quam adæquatè egrederetur ab alterius spatio, deberet aliquas præsentias partiales intra tale spatium acquirere; quod itidem repugnat naturaliter. Quidquid in oppositum censeat Card. de Lugo, disput. 5. de Euch. sect. 1. Quomodo autem se possit naturaliter gerere quantum ad actiones, & passiones corpus definitiue præsens, in tract. de Eucharistia examinandum est.

Propositio 5.

250 Possibile est, vt plura entia tam substantialia, quam accidentalia, tam totalia, quam partialia per eandem presentiam localem indiuisim existant in eodem spatio locali; atque adeo in eodem loco reali.

Huic propositioni videtur refragari ex parte Soar, lib. 4. de Angel, cap. 9. num. 3. quatenus absolute negat, esse possibile, vt duo Angeli per idem intrinsecum vbi existant in eodem loco, Probatur tamen. Quia licet singula entia singulas sibi vendicent presentias locales connaturaliter, vt supra quaest. 7. statuimus; non est vnde supernaturaliter etiam repugnet, quod plura quaeque entia per eandem presentiam localem indiuisim presentia fiant. Quemadmodum non repugnat haud dubie, quod plura entia per eandem actionem indiuisim producantur ab aliqua causa; quandoquidem neque repugnat iuxta fere omnium sententiam, quod plura entia per eandem actionem indiuisim eundem effectum producant, De facto enim Deus, & causa creata per eandem actionem indiuisim causant quemuis effectum. Tum voluntas, & habitus infusus. Tum species impressa, & potentia cognoscitiua, &c. Cumque possibilis sit presentia definitiua Angeli omnino indiuisibilis, quae per sui replicationem ponat presentem Angelum in pluribus partibus spatij, vt ex sententia Theologorum communi statuimus quaest. 4. Et consequenter sit etiam possibilis presentia definitiua corporis indiuisibilis ex parte subiecti, per quam omnes partes corporis indiuisim existant in eadem parte spatij; immo & indiuisibilis insuper ex parte spatij, per quam indiuisim omnes partes corporis tum in singulis, tum in omnibus partibus spatij praesentes hant; vt etiam statuimus ibid. Cur non erit possibilis presentia, per quam indiuisim plura etiam entia totalia eidem spatio fiant presentia? Accedit, quod non est negandum omnipotentiae diuinae id, vbi non cernitur contradictio. At in productione eiusmodi presentiae non cernitur. Possibilis ergo ea diuinitus censenda est.

251 Porro quotiescunque plura quouis entia, in eodem spatio locali possunt simul existere, posse quoque simul existere in eodem loco reali circumdante tale spatium, adeo clarum, & certum est, vt nulla indigeat probatione. Propter quod id in praecedentibus propositionibus potius supposuimus, quam probauimus.

252 Restabat modò examinare, an etiam plura entia suapte essentia diuersis locis affixa, vt presentiae, & earum modi, possint diuinitus per presentias superadditas insuper in eodem loco coniungi. Sed de hoc quid sit dicendum, constabit ex resolutione tradenda quaest. 15. Propositione 6.

QVAESTIO XII.

Virum vnum, & idem ens in pluribus locis simul posse existere.

253 **Q**uestio est de potestate tam naturali, quam supernaturali. Deque loco tum imaginario, tum reali.

Propositio 1.

Vna, & eadem substantia spiritualis, 254 vt Deus, Angelus, & anima rationalis, in pluribus locis sibi inadaequatis, & inter se continuatis potest existere, de factoque existit naturaliter.

Hae propositio certa est secundum fidem, & apud omnes; quia locus inadaequatus continuatus cum alijs substantiis spiritualis dicitur quaelibet pars spatij localis adaequati, & continui, ad quod naturaliter potest ea extendi per presentiam definitiuam, quodque subinde naturaliter potest replere. Quam certum ergo est, substantiam spiritualem spatium aliquod locale extensum, continuumque naturaliter replere posse, idque per presentiam definitiuam ponentem illam, vt pote omnino indiuisibilem, totam in toto spacio, & totam singulis partibus eius; tam certum est, substantiam spiritualem in pluribus locis sibi inadaequatis, & inter se continuatis posse naturaliter esse. At certum est secundum fidem, Deum spatium locale extensum, & continuum replere naturaliter per suam immensitatem; tum Angelum per presentiam, qua saepe asseritur in Scriptura praesens in spatij corporum; tum animam rationalem, dum integrum suum corpus informat. Ergo certum est secundum fidem, substantiam spiritualem in pluribus locis inadaequatis inter se continuatis existere posse, de factoque existere naturaliter. Tales quippe sunt omnes partes spatij totalis, & continui, quod occupat in quibus singulis tota ipsa est.

Propositio 2.

Substantia spiritualis non potest simul 255 existere naturaliter in pluribus locis sibi adaequatis.

Hae propositio certissima iuxta, atque euidentissima est. Quia locus adaequatus substantiae spiritualis impraesentiatum nihil est aliud ab eo integro spatio locali, quod naturaliter replere potest, & ultra quod naturaliter non potest extendi iuxta doctrinam traditam supra quaest. 7. num. 168. Quam certum ergo, & euidentissimum est, hac definitione supposito, non posse substantiam spiritualem alibi esse naturaliter, praeterquam intralacitudinem sui loci adaequati, tam certum, & euidentissimum est, non posse eam simul existere naturaliter in pluribus locis sibi adaequatis.

Vnde eadem certitudine, & euidentia sequitur, non posse eam naturaliter, simulque esse in pluribus locis, quorum vnum sit adaequatum, & alia inadaequata.

Hinc, cum locus adaequatus Dei in sensu 257 explicato sit totum spatium locale circumquaque infinitum, vt infra disp. 6. ostenderur, & hoc sit vnum, ultra quod nihil spatij localis excogitabile est, Deus etiam potest cum veritate dici iuxta praesentem propositionem in pluribus spatij sibi adaequatis naturaliter esse non posse: aliter tamen, quam creatura; quia in Deo id nascitur ex infinitate suae naturae, quae petit localiter existere in toto spatio locali circumquaque infinito; in creatura vero nascitur ex limitatione suae naturae, quae certam sibi spatij quantitatem vendicat, ultra quod sua virtute naturali extendi non potest.

Pro-

Propositio 3.

358 Substantia spiritualis in pluribus locis sibi inadæquatis, & inter se distantibus non potest simul existere naturaliter, etiam si talia loca intra ambitum loci adæquati talis substantiæ contineantur.

Hæc propositio non est tam certa, quam præcedentes. Est tamen communis inter Theologos. Eamque cum S. Tho. Bonau. Pefant. Vazq. & alijs tenent Soar. lib. 4. de Angel. cap. 10. Molin. 1. par. quæst. 52. artic. 2. Arrub. disput. 157. cap. 3. Tann. disput. 5. quæst. 2. dub. 4. & alij. Probatur potest primò ab absurdo. Quia si Angelus posset simul existere naturaliter in pluribus spatijs inadæquatis distinctis, siue inter se distantibus, quantumvis contentis intra ambitum spatij adæquati, etiam posset existere in pluribus spatijs inadæquatis (idest, quæ iuncta non excederent spatium adæquatum) distantibus inter se qualibet distantia finita, quantumvis magna: quòd enim eorum distantia sit magna, aut parua, nihil ad rem conferre videtur. Inde autem fieret, vt posset Angelus bonus simul naturaliter esse in Coelo Empyreo, & in terrâ, & Angelus malus simul in Inferno, & in hoc aere. Quod tamen contra communem sententiam Patrum, & Theologorum est, teste Soar. supra. Apud quem testimonia Patrum tum ibi, tum cap. 1. relata videri possunt. Imo contra scripturam esse videtur: vbi pro aliquibus agendis negotijs mitti ex vno loco ad alium dicuntur Angeli, transire ve, aut moueri, aut huiusmodi. Vt quid enim locorum mutatio; si, retentâ præsentia in vno, posset Angelus naturaliter fieri præsens in alio?

359 Secundo etiam ab absurdo videtur propositio probari. Sequitur enim ex opposita, quòd posset Angelus itidem naturaliter præsens simul existere non modò in duobus, tribus ve, aut quatuor locis inadæquatis, sed in innumeris; dummodo ea iuncta non excederent spatium Angeli adæquatum; quantumvis illa omnia inter se longissimè distarent. Quod magis adhuc aduersatur Patribus, & Theologis: valdeque excedere videtur virtutem limitatam Angelij. Esse enim quidpiam simul præsens in plurimis locis valde inter se distantibus quauis ratione, ex se videtur quid mirabile, & superans vires naturæ.

360 Vnde ratio à priori propositionis desumi potest. Vt enim Angelus iuxta quantitatem propriæ virtutis, & perfectionis taxat sibi quantitatem spatij localis, ita censendus est taxare vnitatem; vt, sicut naturaliter nequit existere, nisi in tanto spatio; ita etiam naturaliter nequeat existere, nisi in vno, quantumvis illud paruum sit.

361 Vnde colliges, Deo etiam conuenire suo modo propositionem datam: quia neque Deus potest existere in pluribus locis inadæquatis, & inter se distantibus, nisi existendo simul in reliquis omnibus, quibus continuatur: alia tamen de causâ, quam creaturæ: quia scilicet ob suam necessariam immensitatem ex nullâ parte sui loci adæquati potest deesse.

Propositio 4.

Substantia spiritualis, vt Angelus, in pluribus locis etiam sibi adæquatis, & inter se distantibus potest simul existere de potentia Dei absolutâ.

Ita citra controuersiam docent omnes Theologi. Efficaciterque probatur à simili ex mysterio factæ Eucharistiæ. Si enim corpus Christi domini per præsentiam definitiuam sibi supernaturalem quotidie ponitur virtute diuinâ in tot locis distinctis, atque inter se distantibus, quot sunt hostiæ consecratae in vniuerso Orbe terrarum, facilius vtiq; minore vè miraculorum sumptu poterit Angelus per præsentiam definitiuam sibi connaturalem eadem diuinâ virtute in multis locis præsens poni. Hæc enim possibilitas, atque defectus repugnantia clarior haud dubie nobis, quam illa, est. Quæ autem de Angelo in hac, & præcedentibus propositionibus dicta sunt, de anima rationali pariter dicta sunt.

Propositio 5.

Vnum, & idem corpus simul in pluribus locis siue inadæquatis, siue adæquatis non potest existere naturaliter.

Hæc propositio adeò explorata, notaque est cunctis per experientiam, vt nullâ indigeat probatione. Circa rationem tamen eius Arriag. disput. 14. Phys. sect. 8. dubium mouet, an ea sit oppositio præsentiarum eiusdem corporis in pluribus locis, an limitatio capacitatis subiecti: decerniturque hanc omnino asserendam esse, non illam. Ego verò censeo, quoties subiectum est incapax duarum formarum, quòddam genus oppositionis habere has in ordine ad tale subiectum iuxta doctrinam vniuersalem de oppositione traditam in Pharo Scient. disput. 14. subindeque diffidium quoad hoc solum erit de modo loquendi. Addo tamen, non esse, cur præsentia distinctis spatijs correspondentes non dicantur cum omni rigore opposita naturaliter respectiue ad idem subiectum: siquidem naturaliter haud dubie exigunt in eo non coniungi; vt exigunt essentialiter non coniungi in eodem spatio per se præcisè.

364 Quomodo autem ne vlla quidem forma aut substantialis, aut accidentalis, aut spiritualis, aut corporea in duobus locis naturaliter esse possit ex dictis proposit. 2. & 3. satis clarè colligitur. Videri tamen potest latè, & speciatim probatum à Carleton disput. 34. Phys. sect. 1. & 2. contra quosdam opinantes oppositum ab ipso, suppreffo nomine, citatos.

Propositio 6.

Vnum, & idem corpus simul in pluribus locis per præsentias definitiuas, aut in vno per præsentiam circumscriptionem, & in alijs per definitiuas de potentia Dei absolutâ potest existere.

Ita omnes Catholici. Et est certum secundum fidem, qua credimus corpus Christi domini in omnibus hostijs consecratis totius Orbis

bis simul existere per presentias definitivas, insuperque in Cælo per presentiam circumscriptionem sibi connaturalem. Hoc namque necunde inuoluit contradictionem; atque adeo sub omnipotentiam divinam facile cadit. De quo Mystério contra hæreticos videantur Theologi cum S. Tho. 3. par. quæst. 75.

Propositio 7.

266 Vnum, & idem corpus simul in pluribus locis etiam per presentias circumscriptionem bene potest existere de potentia Dei absolutâ.

Ita Scot. Ocham. Maior. Ales. Hugo Viâ. & multi alij, quos referunt, & sequuntur Conimb. lib. 4. Phys. cap. 5. quæst. 5. Soar. tom. 3. in 3. par. disput. 48. sect. 4. Bellar. lib. 3. de Euchar. cap. 3. Valent. tom. 4. disput. 6. quæst. 3. pun. 1. Card. Lugo disput. 7. de Euchar. sect. 1. Pet. Hurt. disput. 14. Phys. sect. 5. Arriag. disput. 14. Phys. sect. 8. Oniedo contr. 15. Phys. pun. 9. Carleton disput. 35. Phys. sect. 3. Spinul. disput. 10. Phys. sect. 5. Lynce lib. 7. Phys. tract. 1. cap. 3. & omnes pene Recentiores tum in tract. de Euchar. tum ad lib. 4. Phys. cap. 5. Tametsi pro oppositâ sententiâ stent. S. Tho. 3. par. quæst. 75. artic. 1. & lib. 4. contra Gent. cap. 64. alijsque in locis Bonau. Durand. Capreol. Palud. Henr. & alij, quos referunt, & sequuntur Vazq. tom. 3. in 3. par. disput. 189. cap. 5. & 6. & Thomistæ recentiores communiter.

367 Probatum autem propositio primò. Quia non implicat contradictionem, duo corpora circumscriptionem poni presentiam in eodem loco, ut quæst. 11. statuimus; & consententur Aduersarij, Ergo neque implicabit, idem corpus circumscriptionem poni presentiam in duobus locis, Neque enim maior cernitur oppositio inter duas presentias circumscriptionem duobus spatijs respondentem relatè ad idem corpus, quam inter duas duorum corporum relatè ad idem spatium.

368 Secundò vrgentiùs. Non implicat contradictionem, idem corpus poni in vno loco circumscriptionem, & in alio definitiuè, ut fide sanctum est in corpore Christi domini existente in Cælo circumscriptionem, & in Eucharistia definitiuè. Ergo multò minùs implicabit, poni idem corpus in duobus locis circumscriptionem; siquidem presentia circumscriptionem multò minùs opponitur alteri presentia circumscriptionem connaturali eidem corpori, quam presentia definitiuè ei supernaturali.

369 Tertio. Non repugnat, poni diuinitus duo accidentia opposita naturaliter, ut calorem, & frigus ut octo, in eodem subiecto. Neque repugnat poni vnum accidens in duobus subiectis. Ergo neque repugnabit, poni diuinitus duas presentias circumscriptionem duobus spatijs localibus respondentem in eodem corpore. Neque repugnabit, poni idem corpus per illas in ipsis duobus spatijs localibus.

370 Quarto. De facto etiam euenit sæpe in Ecclesia Dei, ut sacræ testantur historię, quòd idem alicuius viri sancti corpus simul fuerit presentiam circumscriptionem, & cum tota sua extensione locali in duobus locis longè inter se remotis. Ergo hoc diuinæ potentia possibile est. Varia exempla affert Maior. in 4. distinct. 10. quæst. 4. Idque contigisse S. Francisco Xauerio,

ex eius historia constat. Imò & Christo domino. Qui, cum nunquam post ascensionem deseruerit Cælum iuxta illud Actor. 3. *Quem oportet Cælum suscipere vsque in tempora restitutionis omnium*, in terris insuper sæpe visus est multis. Quorum vnus fuit, Paulus ut constat ex Actor. 9. & 1. ad Corinth. 15.

271 Quintò. Spiritus in pluribus locis adæquatis potest simul existere de potentia Dei absolutâ per presentias sibi connaturales in singulis seorsim; ut tanquam certum inter Theologos statutum est proposit. 4. & de animabus Sanctorum docet S. August. lib. de curâ pro mortuis cap. 16. Ergo & corpus per presentias seorsim sibi connaturales, ut sunt circumscriptionem, supernaturaliter potest in pluribus locis simul locari.

272 Sextò. Neque ex parte corporis, neque ex parte presentiarum circumscriptionem, neque aliunde nascitur contradictio, quæ impediât, ne idem corpus possit circumscriptionem poni impluribus locis, ut ex solutione argumentorum, quæ opponuntur ab Aduersarijs, constabit. Ergo id diuinæ omnipotentia negandum non est.

273 Obijciunt primò. Sequi ex sententiâ nostrâ, corpus esse in vno loco circumscriptionem, ut supponimus, & non esse ibidem circumscriptionem, Quod est contradictio. Quia de ratione presentia circumscriptionem est, ita circumscribere, cingere, & terminare corpus in eo loco, in quo illud locat, ut non sit insuper in alio. Respondeo primò, hoc argumentum, si quid probat, probare itidem contra fidem, non posse Christum dominum circumscriptionem existentem in Cælo existere simul definitiuè in loco Eucharistia. Quare nihil, censendum est, probare. Respondeo ergo secundò, de ratione presentia circumscriptionem solùm esse, ita circumscribere corpus intra limites spatijs sui, ut ex vi eius præcisè corpus extra illud non sit. Hoc tamen non tollit, quominus ex vi alterius presentia sit corpus in alio spatio pariter circumscriptionem.

274 Obijciunt secundò. Extensio localis circumscriptionem est effectus formalis quantitatis. Ergo non potest esse multiplex, vbi vna sola quantitas est, Nego antecedens. Quia alias non posset Deus ponere in Eucharistia quantitatem Christi domini absque extensione locali circumscriptionem. Hæc igitur idem est cum presentia circumscriptionem: effectusque formalis quantitatis est, reddere corpus impenetrabile, & exigens eam. Nihil autem vetat dari ei diuinitus plures presentias, siue extensiones locales circumscriptionem, dum vnâ tantum petit.

275 Obijciunt tertio. Si potest idem corpus poni circumscriptionem in pluribus locis, poterit in omnibus; atque adeo poterit esse immentum. Quod est absurdum. Respondeo primò, idem sequi, & potiore iure, si potest definitiuè, ut habemus ex fide: siquidem ad immentitatem presentia definitiuè requiritur. Respondeo secundò, dato, quòd posset idem corpus poni in omnibus locis, siue in toto spatio locali, de quo alibi, non fore immentum per essentiam, ut Deus; sed per participationem accidentariam, ut creatura. In quo nullum est inconueniens.

276 Obijciunt quarto. Si corpus poneretur in pluribus.

pluribus locis, distaret à se ipso, diuidereturque à se ipso, & se ipsum tangeret, si loca essent continuata. Quæ omnia impossibilia sunt. Hæc obiectio æquè militat contra Eucharistiam, vt ex se patet. Aliqui censent, dici posse, corpus distare à se ipso prout affectum præsentis inter se distantibus. Alijs hæc loquutio non placet: quia distantia videtur præferre extrema distincta, vt præfert absque dubio diuisio, & fortasse etiam contactus. Dissidium est de modo loquendi. Et vnusquisque loquetur, vt volet. Id tamen certum, si distantia, diuisio, & contactus dicunt extrema entitatiuè distincta, neutiquam fore in datis casibus, vt corpus à se ipso distaret, aut à se ipso diuideretur, aut se ipsum tangeret.

277 Obijciunt quintò. Sequi ex sententiâ nostrâ, posse idem corpus habere plures præsentias circumscriptiuas simul respondentibus eidem spatio, atque adeò plura accidentia solo numero differentia. Verum ex Mysterio Eucharistiæ sequitur pariter, posse idem corpus habere simul plures præsentias definitiuas solo numero differentes, Concedoquæ in vtroque casu sequelam: quia nihil absurdi secum fert.

278 Obijciunt sextò. Si corpus poneretur in duplici loco, æquale esset vtrique simul: quia locus iuxta Arist. & omnes est æqualis locato. At etiam esset æquale alterutri seorsim ab alio, vt esset, si in eo solo haberet præsentiam. Ergo esset duplo maius se ipso. Quod est impossibile. Respondeo, corpus positum in pluribus locis circumscriptiuè singulis seorsim esse æquale: quia quoduis seorsim est locus adæquatus eius, cui soli debet esse æquale locatum circumscriptiuè, de quo hic solum agimus, iuxta Arist. & omnes: non verò plurium locorum collectioni super excedenti ipsum locatum. Tametsi & hanc repleat corpus in tota ea positum, non per adæquationem circumscriptiuam, sed per replicationem, siue repetitionem sui: subindeque collectionem extensionum, seu præsentiarum habeat æqualem collectioni locorum.

279 Obijciunt septimò. Si poneretur corpus in duplici loco extra centrum, vtroque gravitaret. Ergo ex vtroque loco exigeret naturaliter motum seorsim. Ergo naturaliter moueretur duplici motu simul. Hoc est impossibile. Ergo & illud. Hoc argumentum imprimis videtur etiam militare contra Eucharistiam. Nam corpus Christi extra Eucharistiam petit moueri naturaliter: aliundeque videtur illi impossibile: quia corpus habens alicubi vnâ præsentiam, quæcumque ea sit, vt corpus Christi habet in Eucharistia, non videtur posse naturaliter acquirere alibi aliam.

280 Deinde ad illud respondet Card. Lugo supra. Si corpus positum in duobus locis aut in altero, aut in vtroque propria virtute conseruet suam præsentiam, miraculumque solum stet in eo, quòd Deus ad eam conseruandam præstet illi concursus indebitum; tum quidem tale corpus aut ex altero, aut ex vtroque loco moueri posse naturaliter: quia ex suppositione prioris miraculi iam ipsi est debitus talis motus. Atque ita Christum dominum modò naturaliter posse se in Cælo mouere; tametsi alibi in Eucharistia multas præsentias habeat. Similiterque Sanctos, quibus Deus tribuit præsentias in duobus locis modo dicto, (qualiter de facto semper, censet, tribuere), naturaliter ibi moueri. Quo eodem pacto censet, duo corpora penetrata, aut eorum alte-

rum ex suppositione prioris miraculi naturaliter moueri posse; vt supra quæst. 7. retulimus. Carleton verò vbi supra sect. 4. & sequentibus ex diuerso fundamento opinatur, corpus in duobus locis positum in vtroque naturaliter posse moueri: quia scilicet vt sic virtualiter est duplex.

Non placent. Quia, vt alij Doctores bene censent communiter, in nullo euentu possunt esse debita, atque adeò nec naturales eidem corpori (nisi aliquid supernaturale ei addatur) duæ præsentia in duobus locis; sicut in nullo euentu possunt eidem subiecto debita esse, atque adeò nec naturales duæ qualitates opposita, vt sunt in gradibus summè intensi calor, & frigus. Neque enim minus incompatibiles sunt naturaliter in eodem corpore duæ præsentia in duobus locis, quàm summus calor, & summum frigus. Dixi verò, nisi aliquid supernaturale ei addatur. Quia possibile reputo, adijci corpori à Deo qualitatem aliquam supernaturalem, ratione cuius iam ei connaturaliter debeantur duæ, vel plures præsentia in pluribus locis. Quemadmodum multorum Theologorum sententiâ, quos refert, & sequitur Salas 1. 2. tract. 2. disput. 14. sect. 19. corporibus Beatorum ratione cuiusdam qualitatis supernaturalis ipsis impressæ connaturaliter est illis debita penetratio cum alijs quibusuis corporibus non beatis. In qua subinde qualitate consistit dos subtilitatis. Omni tamen additamento supernaturali secluso, nunquam possunt eidem corpori duæ præsentia in duobus locis simul connaturales esse: quia nunquam possunt esse illi simul debita naturaliter.

Dicendum igitur est, bifariam posse corpus poni in duobus locis circumscriptiuè, præsentis videlicet ei naturalibus quoad substantiam. Primò ita, vt neutra earum præsentiarum sit ipsi debita ex vi causarum naturalium, Quo casu ambæ dictæ præsentia erunt ipsi supernaturales quoadmodum, atque adeò miraculosæ; insuperque miraculosa erit priuatio præsentia, quam illud ex vi causarum naturalium pro eadem temporis mensurâ habiturum erat. Secundò ita, vt altera dictarum præsentiarum ipsi sit debita ex vi causarum naturalium; altera verò secus; (ambæ enim simul nequeunt esse debita iuxta iam dicta). Quo casu prima erit ipsi omnimodis naturalis. Secunda vero miraculosa. Semel autem posito corpore in duobus locis vtrolibet ex dictis modis, si in neutro sit proximè potens ad motum localem inde exequendum pro tempore immediatè sequente, in alterutro sub disunctione habebit ius perseverandi, & conseruandi suam præsentiam; eritque penes arbitrium Dei determinare concursum, per quem tali iuri disunctiuo satisfaciendum de facto sit: in eaque deinceps præsentia perseverabit naturaliter tale corpus, ad quam Deus ipsi præstiterit talem concursus prædicto iuri satisfaciendum: in alterâ vero præsentia miraculosè perseverabit, si perseveret in ambabus: quia, suppositâ determinatione diuinâ, iam nullum ius habebit ad illam: cum iuri disunctiuo, quod antea habebat ad alterutram, per alteram iam satisfactum sit. Si verò, semel posito corpore in duobus locis vtrolibet similiter ex dictis modis, in vtroque sit proximè potens ad motum localem cuiusuis generis inde exequendum pro tempore immediatè sequente, ita, quòd ad executionem eius dumtaxat desideretur concursus Dei, ius pariter disunctiuum habebit ad concursus Dei pro alterutro ex dictis motibus: atque

que ita penes arbitrium Dei erit, determinare concursum, per quem de facto tali iuri satisfaciendum est; isque subinde motus corpori naturalis erit, ad quem Deus eo intuitu satisfaciendi dicto iuri concursum præbuerit; si autem corpus, dum naturaliter tali motu ex tali loco mouetur, aut perseveret præsens in altero loco, aut inde etiam moueatur; talis perseverentia, aut motus miraculosus erit. Denique, si semel posito corpore in duobus locis, ut dictum est, in altero sit proximè potens ad motum, in altero secus; ius pariter distinctivum habebit ad motum ex vno loco, aut perseverantiam in altero; Deique determinare erit iuxta dicta quodnam eorum ei naturale, & quodnam miraculosum futurum sit; motus ne ex loco, unde moveri proximè potest, aut perseverantia in altero, unde non potest proximè. Ex quibus liquido apparet solutio argumenti num. 179, propositi. Patet etiam, quomodo Christus Dominus in Cælo possit moveri naturaliter, quantumvis sit insuper præsens in Eucharistia; & quomodo Sanctus in pluribus locis positus à Deo, naturaliter in vno eorum moveri possit; secus in reliquis. Sed de his plura adhuc restant minutius, distinctiusque dicenda sub vniuersaliore doctrinâ in subsequentiis questionibus.

Denique obiiciunt Aduersarij. Sequi ex sententiâ nostrâ, eundem hominem positum in duobus locis posse simul viuere, & mori; loqui, & tacere; amare, & odio habere; & alia huiusmodi, quæ impossibilia sunt, prætere. Quid verò ad hæc sit respondendum, etiam constabit ex dicendis in subsequentiis questionibus.

Propositio 8.

Vnum, & idem ens naturaliter multas præsentias eidem spatio correspondentes habere non potest; benè tamen supernaturaliter; idque siue tales præsentia sint eiusdem, siue sint diuersæ speciei.

Prior pars propositionis probatur. Quia ad collocandum naturaliter in quouis spatio vnum ens vna præsentia sufficit, aliaque subinde ut superflue sunt ipsi indebitæ; atque adeò naturaliter impossibiles. Posterior verò pars constat. Quia non est, unde contradictionem implicet, coniungi in eodem ente plures præsentias eidem spatio respondentes, siue eiusdem speciei, ut plures circumscriptiuas, aut plures definitiuas similes, siue diuersæ, ut plures, quarum alia circumscriptiuæ, & alia definitiuæ sint. Ergo non est, unde eiusmodi coniunctiones supernaturaliter etiam sint impossibiles. Est autem sermo in propositione de ente non affixo per se ipsum spatio locali; nam de affixo, ut præsentia, dicendum, infra.

Propositio 9.

Quodcunque ens in pluribus spatijs localibus (de quibus potissimum hætenus sermo fuit) potest simul existere, & in pluribus locis realibus talia

spatia circundantibus potest simul existere.

Est id adeò certum, & clarum, ut nullâ indigeat probatione, aut explicatione. Vtrum autem vnum etiam ens loco affixum, ut præsentia, per alias præsentias superadditas possit poni in pluribus locis, inferius demonstrabimus.

QVAESTIO XIII.

Virum modus in loco distante à re, cuius est modus, possit existere. Vbi etiam, an agens possit agere in distans.

Multa ex dicendis in sequentiis quæstionibus dependent ex huius resolutione. Ob id eam præmitto. Suppono autem primò, modum dici vniuersè quoduis ens se ipso, atque adeò essentialiter alteri affixum; ipsamque proinde immediatè tangens. Qualis est omnis actus re ipsâ formalis intrinsecusque per adhesionem suo subiecto respectu ipsius subiecti iuxta dicta in Pharo Scient. disput. 2. quæst. 4. & disput. 8. quæst. 3. ut actio respectu agentis producentis per illam; atque etiam respectu effectus per illam producti; passio respectu subiecti per eam patientis, seu recipientis, atque etiam respectu effectus per eam recepti; vnio respectu extremi per eam vniti; præsentia respectu subiecti per eam præsentis; cognitio respectu subiecti per eam cognoscentis; & cæteri huiusmodi.

Suppono secundò, huiusmodi modorum quosdam naturâ suâ postulare penetrationem, cum subiectis, quorum sunt modi; quosdam verò non penetrationem, sed tantum contiguitatem cum eis exposcere. Quorum priores modi penetrati, posteriores autem modi contigui, distinctionis gratia, dicuntur. Primi autem generis sunt vnio, qua forma vnitur materiæ; & accideas subiecto, cum quo est penetratum; actio immanens, quæ simul est passio, qua quoduis agens in se producit, & in se recipit aliqua se-cum ipso penetrata accidentia; præsentia localis similiter penetrata cum ente, quod præsens reddit proprio spatio; & alij huiusmodi. Secundi autem generis sunt vnio integralis, quæ partes cuiusvis entis extensi localiter citra penetrationem per meram adiunctionem vnuntur; actio transiens, qua quoduis agens in passum à se distinctum, & sibi contiguum localiter producit effectum; indiuisibile terminatiuum cuiusvis quantitatis continuæ, si quod datur, quod modus sit eius; & cæteri similes, si qui sunt.

Suppono tertio, neminem, quod sciam, afferuisse vniuersaliter, posse naturaliter modum existere separatim localiter à subiecto, cuius est modus. Id tamen speciatim tenent re ipsâ, qui docent, posse naturaliter agens agere in distans, & consequenter, posse naturaliter actionem distare ab agente, cuius modus est. Pro qua sententiâ à Recentioribus mox referens citantur Auice, Ocham, Alex. Gabr. Bassol. Mayr. & alij. Ex afferentibus autem, non posse naturaliter agens

age-

agere in distans, qui sunt Soar. disput. 18. Metaph. sect. 8. Conimbr. lib. 7. Phys. cap. 2. quæst. 1. Rub. ibid. quæst. 1. Petr. Hurt. disput. 9. Phys. sect. 6. Ari. riag. disput. 7. Phys. sect. 6. Quied. contr. 18. Phys. punct. 1. Spinul. disput. 14. de Gener. sect. 5. Carlet. disput. 36. Phys. sect. 2. cum Aristot. 7. Phys. cap. 2. S. Tho. ibi, & 1. par. quæst. 8. artic. 1. Vbi Caiet. Molin. & alij Thomistæ communit. Ex his, inquam, plerique etiam tenent idem ipsum recipi; quatenus asserunt, vt agens extensum naturaliter agat in passo à se distincto secundum omnes partes sui indiuisim, sufficere quòd sit illi contiguam quoad partem sui extremam. Ita enim concedunt, actionem oriundam indiuisim ab omnibus partibus agentis (quæ subinde non solum partis proximæ passo, sed caterarum omnium ab eo distantium modus est) in ipsius passi spatio locali dumtaxat habere præsentiam. Quòd ipsum est, modum in loco distanti à multis subiectis, quorum reuera est modus, existere; tamen si talis locus distans non sit ab aliquo, cuius etiam est modus. Ex suppositione autem, quòd corpus miraculosè ponatur præsens Matrini, & Romæ, si ab igne existente solum Matrini calefiat, eiusmodi calefactionem debere connaturaliter reddi præsentem Romæ, affirmant Card. Lugo disput. 15. de Euchari. sect. 2. Quied. contr. 15. Phys. punct. 10. & alij. Quòd est, asserere, eiusmodi calefactionem ex suppositione dicti miraculi connaturaliter esse in loco distanti ab igne, cuius modus est. Tamen si Carlet. disput. 35. Phys. sect. 7. & alij oppositum sentiant in casu posito, nempe, calefactionem dictam non posse connaturaliter, nedum debere, poni præsentem Romæ. Iam verò num supernaturaliter possit modus loco distans esse à subiecto, cuius modus est, non video vniuersè tractatum apud Auctores. Affirmatiuam tamen partem tenent consequenter speciatim qui in casibus dictis affirmant naturaliter, aut connaturaliter posse. Et insuper qui absolute docent, posse supernaturaliter agens in distans agere. Vnum tamen Spinulam vidi, qui non satis consequenter ad ea, quæ de actione in distans censet loco citato, vniuersaliter tenet disput. 10. Phys. sect. 6. num. 84. modum nullatenus posse existere separatim localiter à re, cuius est modus. Quibus suppositis sit.

Propositio I.

289 Impossibile omnino, atque adeò non solum naturaliter, sed etiam supernaturaliter est, quòd modus existat in loco distanti à subiecto, cuius est modus, ita, vt nullibi sit cum illo loco coniunctus.

8 Probatur. Quia modus essentialiter est affixus, atque adeò immediatè tangens subiectum, cuius modus est, vt ex communi conceptione eius statuimus suppositione primâ. Ergò impossibile omnino est, quòd talis non sit; cum sit omnino impossibile, quòd non sit talis, qualis essentialiter est, vt constat. At positus in loco distanti à subiecto, cuius est modus, neque esset ipsi subiecto affixus, neque ipsum tangens immediatè, vt satis ex se videtur notum. Ergò impossibile omnino est, vt in loco distanti à suo subiecto, cuius modus est, collocetur.

290 Confirmatur primò. Quia, vt est imperceptibile, ideoque ab omnibus impossibile reputatur, quòd modus sit existens in vno tempore, & eius subiectum neque in eodem, neque in immediato, sed in alio distanti, siue remoto existens sit. Ita etiam est imperceptibile; proindeque & impossibile reputari debet, quòd modus sit existens in vno loco, & eius subiectum neque in eodem, neque in immediato, sed in alio distanti sit existens.

291 Confirmatur secundò, & declaratur. Quia licet modus non per se ipsum, sed per præsentiam superadditam existat in loco; hoc tamen ipso, quòd suapte essentia est affixus subiecto, ipsumque tangens immediatè, essentialiter exposcit præsentiam localiter penetratam cum præsentia subiecti, si modus penetratus sit; contiguam autem ipsi, si sit contiguus. Quemadmodum, licet modus non per se ipsum, sed per superadditam durationem existat in tempore iuxta dicenda disput. 7. in omnium sententia exposcit essentialiter durationem temporaliter penetratam cum duratione sui subiecti; (aut ipsi contiguam, si detur modus contiguus tantum temporaliter de quo disput. 7. citatâ). Et quidem, si omne ens titulo entis essentialiter est connexum cum aliqua præsentia sui, sicut & cum aliqua duratione, vt supra quæst. 8. probatum est: mirum profectò esse non debet, quòd ens modale titulo talis sit essentialiter connexum cum aliqua præsentia sui non qualicumque, sed penetratâ localiter, aut contiguâ præsentia sui subiecti; sicut reuera essentialiter est connexum cum aliqua sui duratione non qualicumque, sed penetratâ temporaliter cum duratione sui subiecti, (aut ipsi contigua). Itaque iuxta hanc doctrinam, quando modus est penetratus, omnis præsentia eius possibilis in quolibet spatio locali essentialiter est connexa cum præsentia aliqua subiecti ipsius correspondente eidem spatio, cum correspondente autem spatio contiguo, quando est modus contiguus.

292 Id quòd confirmatur tertio. Quia modus ex conceptu suo tum formali, tum etiam reali actus quidam est, & consequenter exercitium, quo se se realiter exercet subiectum, cuius est modus, vt constat ex doctrinâ actuum datâ in Pharo Scient. disput. 8. & alibi. Sed impossibile est, quòd subiectum realiter exerceatur per actum à se loco distans, vt satis, superque ex ipsis terminis videtur notum. Ergò impossibile est, quòd modus existens sit in loco distanti à suo subiecto. Fieret enim inde, vt subiectum realiter exerceatur per actum à se loco distans; cum nequeat stare reale exercitium subiecti, quin se se per illud realiter exerceat subiectum.

293 Confirmatur quartò idem ipsum. Quia etiam est de conceptu essentiali modi, esse actu adherens subiecto, cuius modus est. Videtur autem manifestè impossibile, quòd sit modus actu adherens subiecto à se loco distanti.

294 Confirmatur quintò. Quia, vt est manifestè, & iuxta sententiam omnium possibile ens essentialiter connexum cum alio prout existente in eodem tempore; siquidem plura huiuscemodi dantur de facto, vt constat: ita est manifestè possibile ens essentialiter connexum cum alio prout existente in eodem loco. Talem autem esse modum penetratum relate ad suum subie.

subiectum, conceptus essentia eius in præcedentibus expositus satis præfert: sicut etiam, modum contiguum essentialiter esse connexum, cum suo subiecto prout existente in loco contiguo. Itaque, non posse existere sine subiecto præsentem in suo eodem, aut in contiguo spatio locali proprietatem metaphysicam est essentia modi satis, superque nota; ut est proprietatem metaphysicam eius secundum omnes, non posse existere sine subiecto existente. Unde, sicut nec de potentia Dei absoluta potest existere modus, nisi existente subiecto eius. Ita nec de potentia Dei absoluta potest existere modus, nisi præsentem subiecto eius aut in eodem ipsius, aut in contiguo spatio locali. Ad quod præterea confirmatur amplius ex dicendis propositionibus sequentibus.

Propositio 2.

295 Impossibile omnino est, quod modus existat in aliquo loco separatus siue distans à suo subiecto, etiam si in alio loco sit coniunctus cum illo.

Hæc propositio alicui videbitur fortasse non adeo certa, quam præcedens. Sed probatur nihilominus ex dictis pro illa. Quia modus, ubicunque sit præsens, debet habere secum suam essentiam, ut est notissimum. Ergo, ubicunque sit præsens, debet esse affixus, & adherens actu suo subiecto, ipsumque tangens, & exercens: quia hæc omnia sunt de essentia eius, prout dictum est circa proposit. 1. At hæc habere non potest in loco distante à subiecto, ut ex ibidem dictis constat; quantumvis ea habeat in alio loco, ubi secum habet subiectum. Ergo in loco distante à subiecto nequit habere suam essentiam, & consequenter nec præsens esse; quantumvis sit in alio loco coniunctus cum ipso subiecto.

296 Confirmatur primò. Quia modus in nullo tempore potest esse existens sine subiecto aut in eodem, aut in immediato existente. Ergo modus in nullo loco potest esse præsens sine subiecto aut in eodem, aut in immediato præsentem.

297 Confirmatur secundò. Quia, ut ibi etiam inferebamus ex essentia modi, omnis præsentia possibilis eius in quolibet spatio locali essentialiter est connexa cum aliqua præsentia subiecti ipsius respondente eidem spatio, aut contiguo. Ergo in nullo spatio potest modus esse præsens, in quo, aut in contiguo non sit præsens subiectum eius.

298 Confirmatur tertio. Quia, ut modus possit in aliquo loco esse præsens sine suo subiecto, nihil conducere videtur, quod sit in alio præsens cum illo. Hoc enim secundum ad illud primum videtur impertinens. At primum sine secundo est impossibile. Ergo etiam cum secundo.

Propositio 3.

299 Impossibile omnino est, etiam diuinitus, quod unio quorumvis extremorum in aliquo loco distante ab ipsis extremis existat.

Probatum primò. Quia unio quorumvis extremorum modus eorum est, ut supponimus. Repugnat autem, ut modus in aliquo loco existat distans ab eis subiectis, quorum est modus, iuxta doctrinam stabilitam proposit. 1. & 2.

300 Secundò. Quia ex ipsis terminis videtur satis apparere, esse omnino impossibile, quod extrema longe inter se distantia localiter inter se, nihilominus maneat unita. Esset autem id plane possibile, si eorum unio in loco longe distante, aut ab utroque, aut ab alterutro talium extremorum posset existere, ut est notissimum.

301 Unde inferes; etiam esse omnino impossibile, quod, existente unione quorumvis extremorum in quolibet loco, extrema ipsa sint inter se distantia localiter, debent namque esse aut in eodem spatio locali unionis, si unio sit penetrata, aut in spatijs contiguis spatio unionis, si sit unio contigua: quia prima primum, & secunda secundum exposcit essentialiter. Alioquin, si extrema in alijs spatijs inter se distantibus essent, ubicunque concipiatur posita unio siue in altero eorum spatiorum, siue in utroque replicata, siue in alio tertio, implicatoria erit; quia erit ibi siue sua essentia; hoc est siue eo, quod est, esse eam ibi affixam actu, & adherentem, & tangentem ambo sua extrema, quorum amborum modus est, ut constat ex doctrina tradita proposit. 2.

302 Ex quo rursus inferitur, omnino etiam impossibile esse, quod sit aliqua substantia in vno loco, & accidentia eius in alio distante seorsim, & nihilominus talia accidentia realiter maneat unita tali substantia, vel in ea recepta. Quia esset in tali casu modus unionis, vel receptionis in aliquo loco, à quo distaret aliquod suorum extremorum. Quod impossibile est iuxta dicta.

Propositio 4.

303 Impossibile omnino est, etiam diuinitus, quod præsentia localis existat in aliquo loco distante à subiecto, cuius præsentia est.

Quia modus est eius, ut statuimus quæst. 1. proposit. 3. Aliorumque proinde modorum proprietatem in præcedentibus ostensam habet. Et quidem non posse non subiectum simul cum sua præsentia esse præsens in spatio, cui ea est affixa, seu correspondet suapte essentia, certissimum est, & iam à nobis supra statutum quæst. 6. proposit. 4. quia id est ipsissimus effectus formalis præsentia. Hanc tamen propositionem addimus, ut sciatur, tum id habere etiam præsentiam titulo modi sui subiectum casu, quod illa per aliam præsentiam superadditam in alijs spatijs à suo proprio possit diuinitus collocari, (de quo infra), necessario etiam in illis debere secum habere præsens subiectum suum eodem titulo modi eius, ut constat ex dictis.

Propositio 5.

304 Impossibile omnino est, etiam diuinitus, quod actio qualibet existat in aliquo loco distante aut à principio sui effectiuo adhuc partiali; aut ab effectu per eam producto; aut etiam à principio passiuo, seu receptiuo eius, quando est actioeductiuæ.

Proba-

Probatum primò . Quia actio , quando est eductiua , dicitur trium extremorum est modus , duorum autem priorum tantum , quando est creatiua , vti supponitur ex communi . Repugnat autem prorsus , vt modus in aliquo loco existat distante ab eis subiectis , quorum est modus , vt proposuit . 1. & 2. statutum est .

305 secundò . Quia ex ipsis terminis videtur satis , superque notum , nullatenus posse agere , principium actiuum per actionem à se distantem , localiter , nullatenusque posse pati , seu recipere , in se effectum principium passiuum per passionem , seu receptionem à se loco distantem , multòque minùs posse effectum fieri per actionem à se localiter remotam . Quis enim non videat repugnare , quòd ipsa actualis emanatio , egressioque effectus à sua causà , qualis est actio , nunc Romæ sit , & causa Marriti , & effectus Praga , & tamen sit verum , nunc talem effectum à tali causà per talem numero egressionem actualiter egredi ?

306 Tertio . Quia , vt infra disput. 6. ex Scriptura , & Patribus , multisque alijs Doctoribus ostendimus ; ex eo , quòd Deus omnia producit , atque conseruat immediatè , legitime , & metaphysicè infertur eius immensitas , siue presentia in omnibus . Ergo metaphysicè est impossibile , quòd aliquod principium actiuum agat in distans , seu per actionem à se distantem ; (alioquin talis illatio non esset legitima) : & consequenter , tum quòd per passionem à se distantem recipiat principium passiuum ; tum , quòd per actionem , & passionem à se distantem fiat , & recipiatur effectus . Vnde infertur .

Confectarium .

307 Impossibile omnino est , etiam diuinitùs , vt aliquod agens agat in distans , seu per actionem à se distantem . Tantum abest , vt id sit possibile naturaliter .

Ita tenent Molina 1. p. quæst. 8. art. 1. disput. 2. Rub. lib. 7. Phys. cap. 2. quæst. 2. Gillius lib. 2. de Deo tract. 9. cap. 4. Fasol. 1. p. quæst. 8. art. 1. dub. 4. & alij contra plerosque ex Auctoribus citatis num. 288. Constatque ex dictis proposuit . 5. Videturque planè esse sententia Aristotelis certissimis , euidentiissimisque experimentis comprobata vbique absolutè , & absque vllà limitatione docentis , impossibile esse , quòd aliquod agens in spatio à se distante operetur . Nam lib. 7. Phys. à text. 9. vsque ad 14. inductione factà per omnes motus , multis probat , mouens , & motum oportere esse simul . Et lib. 1. de Gener. text. 43. Neque facere , inquit , & pati possunt propriè , quæ non eà possibile , se inuicem tangere . Et text. 78. docet , impossibilem esse actionem , & passionem inter non tangentia neque se ipsa , neque alia , quæ facere nata sunt : aerem enim ignis , aer autem corpus calefacit . Et lib. 1. Meteorol. sum. 1. cap. 2. ait . Est ex necessitate continuus quodammodò iste mundus superioribus latioribus , vt omnis ipsius virtus inde gubernetur . Quia videlicet Cælum in inferiora non posset agere , nisi essent illi contigua . Aliaque huiusmodi habet alibi . Experimenta autem obuia sunt . Quia passim videmus , actionem agentis præpediri , quoties inter agens , & passum , ad quod peruentura erat , impedimentum ponitur . Non præpediretur autem , si pos-

set agens illam inducere in passum distans .

Itaque opinor , nullum agens siue principale , siue instrumentale , siue totale , siue parziale , quidpiam agere posse , adhuc de potentia Dei absolutà , nisi vel in eodem spatio locali , in quo ipsum est , quando agit per actionem secum penetratam , vel in spatio sibi immediato , quando agit per actionem sibi contiguam . Vnde , quando agens est extensum localiter , & transeunter agit in passu sibi contiguo etiam localiter extenso , pars dumtaxat extrema agentis in partem dumtaxat extremam passu (quæ sola immediate se tangunt) agit actione sibi propria ; & hæc sola similiter per effectum in se productum agit in secundam sibi immediatam ; pariterque solà secunda in tertiam ; & ita deinceps : sicque per partes extensas passu extenditur actio , & effectus . Si enim partes remotiores agentis à dictà parte extrema passu distantes per actionem à se immediatè nascentem in illà agerent , talis actio præsens existeret simul cum tali parte passu in spatio distans localiter à suo principio , cuius esset modus . Quod iuxta doctrinam statutam impossibile est .

Vnde constat , falsum esse , quod docent plerique ex Auctoribus commemoratis num. 288. nimirum , omnes partes agentis extensi localiter distantes à passu vnà cum extremà parte passu contigua indiuisim concurrere ad producendum in primà parte passu effectum per eandem prorsus actionem ab omnibus indiuisim nascentem . Hoc , inquam , falsum esse constat ex dictis . Deindeque potest aliunde probari primò : quia non videtur intelligibile , atque adeò neque possibile iuxta paulò ante dicta , quòd actio in primà parte passu recepta , & ibi tantum præsens à partibus agentis longè remotis egrediatur , imò sit ipsa actualis egressio ab ipsis effectus adeò loco distantis , vt pote ibidem solum cum actione ipsa recepti . Secundò : quia si à tot partibus agentis distantibus à passu actio in ipso passu recepta posset enasci , naturaliterque , & de facto nasceretur , vt Aduersarij putant ; etiam si omnes à passu essent distantes , posset , atque ita integrum agens naturaliter posset agere in distans . Quod ipsi falsum , & absurdum iure optimo reputant . Quid enim , quæso , conferre potest , quòd ex centum partibus extensionis , quas agens habet , vna sola sit immediata passu , vt cætera omnes remotæ in ipso passu per actionem à se immediatè orientem agant ? Aut cur vbi nonaginta nouem partes agentis agunt in distans , non possunt omnes centum , ex quibus agens constat , in distans agere ? Tertio : quia , si omnes partes agentis extensi indiuisim modo dicto concurrerent ad actionem , & effectum productum in primà parte passu , cuiuscunque longitudinis esset agens , semper omnes concurrerent : quia semper esset eodem modo applicatum passu per extremam sui partem . Atque ita ignis angustus , oblongus tamen ad mille leucas in passu applicato alteri ipsius extremo efficacius ageret , quàm , si paulò minùs esset oblongus ; eòque magis cereretur crescere ea efficacia actionis , quò plures , & plures partes ignis ab altero extremo , post tam immanem longirudinem adderentur . Quod planè est contra experientiam , & contra rationem . Quia ignis ad tam ingentem distantiam nullatenus agere potest . Fieret etiam ex eadem hypothesi , quòd nullum obstaculum interpositum inter passum , & cæteras partes agentis , præter ipsi contiguam , earum actionem

impediret. Quod manifesta etiam, & obuia experientia aduersatur. Quia, cum talis actio in tali hypothese non transeat per medium, eo quod nullibi, praterquam in loco passu, sit praesens, non est, cur quidpiam in medio positum impedire eam valeat, stet ergo, non omnes partes agentis extensi indiuisim, sed eam tantum extremam, qua passu est contigua, posse per propriam actionem, siue immediatè à se nascentem agere in ipso passu.

310 Sed dicunt Aduersarij. Non sola pars extrema agentis extensi, qua passum tangit, agit in ipso: si quidem experientia constat, ignem eo efficacius agere, quò plures partes extensionis habeat earum, quaè directè distant à passu. Si enim duobus passis per omnia similibus, & aequalibus applicentur duo ignes etiam omnino similes, & aequalis latitudinis, quorum alter vnus tantum digiti, alter vnus, aut plurius vinarum longitudinem habeat, clarè cernetur, hunc longè efficacius in suo passu, intensius scilicet, & citius operari, quam ille in suo: quod argumento est euidente, non solum partem extremam vnus cuiusque passu contiguam, sed ceteras omnes distantes in effectum influere; alioquin aequali ambo agerent efficacità, vt constat. At non influunt mediata, agentes scilicet singulae partes remotiores in singulis propinquieribus, earumque virtutem augentes: quia nulla pars ignis agit in aliam; cum omnes sint similes; sitque impossibile vniverse, quòd simile agat in simile iuxta commune, & firmum dogma Philosophorum. Ergo omnes influunt immediatè, per actionem scilicet ab omnibus immediatè, & indiuisim nascentem, immediatèque terminatam ad effectum in primà parte passu productum, & ibi dumtaxat praesentem. Quo etiam passu omnes partes agentis simul cum eà primà parte passu seu cum effectu in ea productu indiuisim agunt in secundà; rursusque omnes cum eà secundà indiuisim agunt in tertià; & ita deinceps effectus extenditur ad totum passum.

311 Ceterum, Philosophiam hanc esse falsam, satis constat ex dictis. Respondeo ergo; quòd plures partes ignis efficacius agent, quam pauciores iuxta experientiam commemoratam, inde nasci: quia partes ignis vicissim se fouent agentes singulae in singulis, singularumque virtutem actiuam augentes per intensionem qualitatum in eis productam. Nec refert, esse omnino similes. Quia simile in simile tunc solum agere non potest illud augendo iuxta dogma Philosophorum etiam commemoratum, quando totam virtutem suam impendit in eo conseruando. Ceteroquin, si aliunde illud causam conseruatiam, habet, non solum simile, sed longè remissius potest in illo agere, vt multae comprobant experientiae. Saepè enim videmus lumen remissius augere intensius ab alio agente per diuersam viam, productum, & conseruatum. Neque est, cur quoduis agens quantumuis remissum, si virtutem habet expeditam, nequeat introducere effectum sibi possibilem in passum illius capax, quantumuis hoc intensionis similis habeat ab alio agente, conseruatum. Et quoniam singulae partes substantiae ignis in gradu sibi connaturali causant, & conseruant in se suas qualitates, insuperque prout illis instructae in quouis passu sibi contiguo operatiuae sunt; consequens est, vt singulae partes in singulis sibi contiguas agere possint, de factoque agant aliquantulum intendendo qualita-

tes earum. Quo fit, vt omnes vicissim se foueant, robustioresque euadant ad agendum in quoduis passum vnus cuique contiguum. Vitatur autem, processus in infinitum intensionis qualitatum, quod ex mutua partium actione videbatur oriundum, eo quòd vnaquaque in sibi contigua multo minorem intensionem producit semper, quam in se habet. Sit enim calor congenitus à substantia ignis, & in singulis partibus repertus vt quatuor; certè, si pars ignis A. cum suo calore, vt quatuor valet producere in parte B. duos gradus caloris, totidemque pars B. in parte A; rursus duo gradus caloris vnus cuique additi tantum valebunt producere in altera vnum; & hoc vnum rursus dimidium; fietque, vt per omnes actiones mutuas possibiles neutra talium partium accedat ad octauum gradum caloris. Agere autem singulas partes ignis in singulas, omnesque mutuo sese fouere modo explicato, ipsa insuper experientia videtur comprobare. Nam si vna lucerna, aut vnus quouis ignis iungatur alteri, inuicem sese videntur magis accendere, & lucidiores apparere. Ignis etiam valde exiguus breui, & facile extinguitur; magnus autem firmitus ac diutius perstat: vtique, quia, quò plures partes habet, eò validius vnaquaque ab alijs fouetur, & à contrario ambiente defenditur. Quod aliter, quam per mutua partium actionem iam explicatam, non videtur effici posse.

Ex quibus patet quomodo singulae partes 312 remotiores ignis extensi in singulis propinquieribus vsque ad extremam passu contiguam agent; earumque virtutem actiuam augeant; indeque eueniat, vt, quò plures fuerint intra suam actiuitatis spheram, qua limitata est, eò maior virtus actiua deriuetur ad extremam passu contiguam, eoque subinde efficacius haec agat per actionem, à se solà immediatè ortam in primà parte passu. Quo etiam modo prima pars passu, siue effectus in eà productus per actionem à se solà immediatè ortam agit in secundà; & secunda similiter in tertià; & ita deinceps effectus extenditur ad totum passum. Quod autem de modo agendi, siue operandi ignis dicimus, eodem passu venit intelligendum in ceteris omnibus agentibus extensis localiter. Itaque in quolibet omnino eorum, partes remotiores non aliter mouant propinquieres, quam tribuentes singulae singulis virtutem, vterius operatricem, ita, vt vnaquaque à solà immediatè anteriori accipiat, & soli immediatè posteriori tribuat per se. De quo multò plura dicuntur tract. de Generat. Nec angatur quispian, quòd haec doctrina videatur non posse coherere cum sententia componente quantum, continuum ex partibus in infinitum diuisibilibus physicè. Nam vel hoc etiam titulo inter multos alios est talis sententia censenda penitus falsa, vt infra disp. 10. videbimus.

Verum contra statutam doctrinam multa 313 obijci solent perita ab experientia; quibus probari videtur etiam naturaliter posse agens agere in distans, seu per actionem à se distantem. Sit primum. Sol gignit in terra ranas, aliaque id genus imperfecta animalia, & mineralia in visceribus terrae; tum ignem, quando radij eius traieci per dioptram vniuntur. Flamma item stupam aliquantulum distantem accendit, & non inter positum aerem. Sed isti, & similes effectus, cum sint substantiales, à solis accidentibus sibi proximis, & contiguis nasci non possunt; nisi substantiae loco distat, à quibus ea trahunt originem, per

per se, perque actiones à se immediatè ortas ad illos concurrant. Igitur tales substantiæ naturaliter agunt in distans, seu per actiones à se distantes. Respondeo, in casibus positis, & in similibus accidentia proxima passo virtutem sufficientem habere ad disponendam vim illius materiam pro noua formâ substantiali introducendâ, vtpote cuius dispositiones etiam sunt accidentia. Materiam autem vltimò dispositâ ad formam ipsa est debita naturaliter. Atque ita Deus vt auctor vniuersalis naturæ ad exigentiam talium dispositionum producit talem formam aut per se solum, aut, quod verissimilius est, simul cum accidentibus proximis passo, à quibus dispositiones ipsa prodierunt, tanquam cum instrumentis quibusdam substantiæ distantis, à qua vel proximè, vel remotè modo superius dicto fluxerunt: quin ipsa substantia per se immediatè concurrat ad productionem dictæ formæ. Tametsi illi attribui soleat eius productio; eo quòd ab illâ tandem remotè suam trahit originem.

314 Secundum argumentum est. Magnes ferrum distans attrahit. Succinum paleas. Oculi nonnumquam res distantes fascinant. Basiliscus è loco distante visu necat. Torpedo manum distantem stupefacit. Imaginatio in capite residens appetitum mouet residentem in corde, aliaque membra distantia variè alterat. Ipseque appetitus medio suo imperio membra distantia mouet localiter. Igitur causæ naturales in distans agere possunt, sepeque agunt. Nego consequentiam. Quia in ijs, & similibus casibus causæ distantes, quibus dicti effectus tribuuntur, non illos causant per actionem à se egredientem immediatè, sed plerunque per accidentia aliqua à se modo iam dicto deriuata, & à Deo adiuta tanquam per instrumenta quædam. Interdum verò per solam sympathiam absque vllis interiectis accidentibus, vt in casibus imaginationis, & appetitus; quatenus, suppositis actibus harum potentiarum, alijs potentijs, aut partibus eiusdem viuents, etiam loco distatis, tales effectus sunt debiti naturaliter; Deusque subinde cum illis ad eos causandos concurrat. Pariterque de alijs huiusmodi censendum est.

315 Tertium argumentum. Quandoque operatur agens intensius in distans, quàm in propinquum, vt quando, feruente aqua, fundum lebetis propinquius igni minus est calidum; & quando per reflexionem intensior fit qualitas iuxta obfistens, quàm in medio propinquiore agente; nec non quando ignis existens intra fornacem intensius illuminat, & calefacit passum è regione directè positum in spatio distantiore, quàm positum ad latus oris fornacis in spatio propinquiore. Igitur agens per actionem à se immediatè egredientem naturaliter agit in distans. Nam in ijs casibus ea maior intensio effectus ab accidente remissiore sibi contiguo nasci non potest. Respondeo, in primo casu quòd aqua remotior ab igne calidior sentiat, quàm fundum lebetis, non inde nasci; quia ignis in illam suam per se protendat actionem intensiorem; sed quia exhalationes, aut etiam partes aquæ subtiles factæ calidiores in ipso fundo lebetis ab igne sibi propinquo sursum ascendunt, & crassiores partes aquæ, quæ remotiores ab igne erant, & minus calidæ, descendunt ad fundum, dum aqua feruet. In secundo autem casu ea maior intensio qualitatis, quàm iuxta obfistens experimur, non nascitur immediatè ab agente distante, sed à duplica-

to agente contiguo ratione reflexionis, altero per lineam directam, & altero per lineam reflexam operante in eadem parte subiecti; qualiter non operantur in medio propinquiori agenti principali, quò vel non accedit reflexio, vel accedit non adeò intenfa. Pro tertio denique casu dico, lumen ab igne, aut ab alio luminoso ebibratum dumtaxat agere per lineam directam tam aliud lumen, quàm calorem; calorem autem pariter per lineam directam efficacius agere: tametsi è quouis puncto sui subiecti non nihil etiam in spheram agat, in quo differt à lumine; sicut & in dependentiâ à suo agente in conferuari; vt pluribus suo loco expono, & ostendo. Vnde in ipso tertio casu fit, quòd lumen ebibratum ab igne per os fornacis nihil ad latus operetur luminis, aut caloris; & quòd calor pariter ebibratus minus ad latus operetur caloris, quàm in directum. Et consequenter quòd è regione ad longam distantiam plus luminis, calorisque producat, quàm ad latus prope ipsum, os fornacis; non verò quòd ignis suam in distans protendat actionem. Ex quibus omnibus apparet, quomodo ad cæteras experientias fit respondendum, ne doctrinæ nostræ præiudicent.

QVÆSTIO XIV.

Virum ens in pluribus locis collocatum, aliqua possit, quæ non potest collocatum in vno solo. Et quanam. Et qualiter.

Carleton disput. 35. Phys. sect. 5. referens pro se 316
 Maior. Oham. Hug. Viç. & alios opinatur, ens positum in duobus locis esse virtualiter duplex, & à se independens, sicut quando existit in diuersis temporibus: atque adeò vt sic eadem posse, etiam naturaliter, quæ posset duplex ens. Vnde infert sect. 6. hominem in duobus locis existentem posse in vtroque naturaliter moueri; in vno esse intensè calidum, in alio intensè frigidum; in vno habere naturaliter assensum, in alio dissensum; in vno amorem, in alio odium eiusdem obiecti; in vno mereri, & esse in gratia, in alio peccare; in vno saluari, in alio damnari; in vno viuere, in alio mori; & similia. Hæc enim possent illi accidere prout existenti in diuersis temporibus. Putat etiam vniuersim hic Auctor, ens in duobus locis existens prædicata contradictoria sufferre posse: quia vt vidimus quæst. 9. censet vniuersim, rei in vno loco existentis in cæteris omnibus, vnde deest, existere contradictoriam negationem. In quo etiam consentit Spinul. disput. 10. Phys. sect. 6. artic. 3. vt ibi notauimus, inferens ex hoc fundamento, hominem billocatum supernaturaliter saltem habere posse formas contrarias in diuersis locis, vt calorem, & frigus in summo; assensum, & dissensum amorem, & odium eiusdem obiecti. Tametsi negget nihilominus cum communi, posse hominem in vno loco mereri, & in alio peccare; in vno præmiari, & in alio damnari; in vno viuere, & in alio mori. Imo vniuersè negat etiam, posse ens in pluribus locis id, quòd ex defectu virtutis, aut capacitatis propriæ non potest in vno.

317

Communis tamen sententia Doctorum est, ens in pluribus locis collocatum nequaquam æquivalere pluribus entibus; atque ita, quæcumque in vno loco positum præstare, aut sustinere non potest vel naturaliter solum, vel etiam diuinitus, siue ob defectum propriæ virtutis, aut capacitatis, siue ob illorum oppositionem, ea utique nec posse præstare similiter, aut sustinere positum in pluribus locis. Ita tenent Soar. tom. 3. in 3. par. disput. 48. sect. 5. & 6. Coninc. de Sacram. quest. 75. artic. 4. dub. 3. Card. de Lugo disput. 5. de Euchar. sect. 2. Monca. disput. 10. cap. 9. Petr. Hurt. disput. 14. Phys. sect. 5. Arriag. disput. 14. Phys. sect. 9. & 10. Quied. contr. 15. Phys. punct. 10. & alij communiter. Quid ego sentiam, per sequentes propositiones exponam.

Propositio 1.

318

Impossibile omnino est, etiam diuinitus, vt aliqua prædicata formaliter contradictoria de aliquo ente billocato verificentur simul tempore.

Quia prædicata formaliter contradictoria sunt aliquid positum, & eius formalis negatio. Est autem impossibile omnino, vt aliquid positum, & eius formalis negatio simul tempore existant in rerum natura; & consequenter, vt simul tempore existant in diuersis locis; & consequenter, vt simul tempore conueniant enti in diuersis locis constituto; prout pluribus contra Carlet, & Spioul. ostensum est supra quest. 9. quæ ad rem videnda. Vbi etiam diluta sunt argumenta, quæ contra præsentem propositionem opponi possent.

319

Ex qua inferitur primò, impossibile omnino esse, vt homo simul tempore sit in vno loco viuus, & in alio mortuus. Quia vita importat vnionem animæ, & corporis, mors autem negationem formalem eiusdem vnionis; & est impossibile, vt dictum est, vnionem, & negationem eius formalem simul tempore existere, adhuc in diuersis locis. Possent quidem anima, & corpus hominis poni Matriti cum sua vnione, & simul Romæ sine vnione, hoc est sine eo, quod vnio esset præsens Romæ. Hoc tamen casu, licet verè dicerentur ea extrema esse vnita Matriti, & verè etiam dicerentur non esse vnita Romæ ex defectu quidem, non vnionis, sed præsentia Romanæ vnionis; non tamen verè diceretur, esse hominem viuum Matriti, & mortuum Romæ; sed esse hominem; viuum Matriti & Romæ simpliciter non esse; quia defectu præsentia Romanæ vnionis homo integer non esset præsens Romæ.

320

Secundò inferitur, impossibile omnino esse, vt homo simul tempore mereatur in vno loco, & peccet grauiter in alio; tum, vt in vno loco saluetur, & in alio damnetur. Quia meritum importat negationem peccati; & saluatio importat negationem damnationis, vt aliunde modò suppono. Repugnatque negationem, & rem negatam adhuc in diuersis locis simul tempore existere iuxta dicta.

321

Denique sequitur, idem dicendum pariter de quibusuis alijs prædicatis, quorum alterum negationem formalem, & alterum rem negatam includat in conceptu suo.

Propositio 2.

Aliqua prædicata æquivalenter contradictoria de ente posito in duobus locis prout posito in eis reduplicatiuè verificantur. Sicut & de ente posito in vno loco reduplicatiuè prout affecto diuersis accidentibus. Quod proinde potius est, prædicata eiusmodi de entibus inter se distinctis verificari.

Dico prædicata æquivalenter contradictoria ea, quorum neutrum importat negationem re ipsa, sed tantum ex modo nostro concipiendi, & nihilominus prorsus repugnant eidem subiecto æquè, ac contradictoria formaliter; subiectis verò inter se distinctis non item. Talia sunt esse hominem, & non esse hominem; esse simile, & non esse simile eidem extremo; & alia huiusmodi. De quo videnda quæ scripta dedimus in Pharo Scient. disput. 9. quest. 3. & 4. & disput. 10. quest. 4. Igitur de homine prout existente Matriti esse distantem à Româ verificatur, de eodemque prout existente Romæ, non esse distantem; sicut de homine Hispano prout albo verificatur, esse dissimilem Ætyopi, de eodemque prout calido non esse dissimilem. Quæ utraque prædicata sunt æquivalenter contradictoria. Sed quæ reuera non de eodem, sed de distinctis subiectis verificantur. Quod passim euenit in prædicatis quauis ratione oppositis comparatione eiusdem subiecti, & non comparatione plurium. Perinde enim est asserere, hominem prout existentem Matriti distare à Româ, secus prout existentem Romæ; atque asserere, præsentiam hominis Matritensem à Româ distantem, esse; præsentiam verò eiusdem Romanam minime. Sicut etiam perinde est asserere, Hispanum prout album esse dissimilem Ætyopi, secus prout calidum; atque asserere, albedinem Hispani nigredini Ætyopis esse dissimilem, calorem vero Hispani calori Ætyopis non item.

Ex quibus patet, doctrinam præsentis propositionis non esse propriam entium in pluribus locis existentium, sed communem omnibus entibus, siue in pluribus, siue in vno loco, siue cum præcisione ab omni præsentia locali, aut etiam ab existentia considerentur.

Propositio 3.

Prædicata metaphysicè contraria comparatione eiusdem subiecti sumpti præcisione, siue cum præcisione à loco neque diuinitus possunt ei conuenire simul, quantumvis sit collocatum in pluribus locis. Quæ verò sunt metaphysicè contraria, eidem subiecto reduplicatiuè prout existente in vno loco, bene poterunt ei conuenire prout esistenti in duobus locis.

Dico prædicata metaphysicè contraria comparatione alicuius subiecti ea, quæ contradictoria non sunt, atque adeò vel ambo positiua, vel ambo negatiua esse possunt; & tamen nec de potentia Dei absoluta possunt ei simul conuenire ob contradictionem, quam necessariò secum ferunt annexam, iuxta vniuersalem doctrinam de oppo.

oppositione entium traditam in Pharo Scient. disput. 14. Quo posito.

325 Prima pars propositionis ostenditur. Quia subiectum sumptum præcisè, siue cum præcisione à loco, seu, quod in idem recidit, prout distinctum ab omni sua præsentia locali semper est in se idem, siue in vno tantum loco, siue in pluribus positum sit, vt est notissimum. Ergo prædicata, quæ illi ita præcisè sumpto repugnant, semper repugnant, siue in vno loco, siue in pluribus positum sit. Alioquin eidem subiecto repugnant, & non repugnant; quod est chymericum. Confirmatur, & declaratur. Quia talia prædicata nequeunt sine contradictione simul verificari de entitate talis subiecti prout condistincta ab omni sua præsentia locali: quia verificatio vnus fert necessariò secum verificationem negationis alterius, & est impossibile, quòd alterum, & eius negatio simul de tali subiecto verificentur iuxta proposit. 1. quia sunt extrema contradictoria. Sed entitas talis subiecti, siue coniungatur cum vna, siue cum pluribus præsentijs, semper manet condistincta ab illis, & prorsus eadem in se. Ergo, quibuscumque præsentijs sit ea in quibuscumque locis coniuncta, nequaquam talia prædicata possunt simul verificari de illa sine contradictione, hoc est, sine eo, quòd simul verificentur de illa duo prædicata contradictoria. Quod penitus est impossibile iuxta proposit. 1.

326 Secunda autem pars propositionis inde plane probanda venit. Quia prædicata metaphysicè contraria subiecto reduplicatiuè prout existenti in vno loco non tam substantiæ eius, quam ipsius præsentia in tali loco contraria, & repugnantia sunt; atque ita bene possunt ei conuenire simul prout existenti in distinctis locis. Vt pote quod perinde est, ac conuenire vnum, præsentia locali, respectu cuius sunt contraria, & alterum alteri præsentia. Quod passim euenit in prædicatis contrarijs respectu vnus subiecti.

327 Ex primâ parte propositionis inferitur si assensus, & dissensus; amorque, & odium eiusdem obiecti; nec non peccatum graue, & gratia; & alia huiusmodi extrema contraria metaphysicè sunt comparatione eiusdem subiecti, vt communior sententia fert; nullatenus illa posse simul eidem subiecto conuenire; quantumuis hoc sit collocatum in pluribus locis. Quia, absque dubio contraria sunt respectu illius sumpti præcisè, siue cum præcisione à loco, prout condistinctique ab omni sua præsentia locali, vt bene censent Auctores relati num. 317. quidquid de assensu, & dissensu, ac de amore, & odio in oppositum opinetur nouissimè Spinulæ citatus num. 316. Itaque, supposita oppositione prædicta eiusmodi extremorum, impossibiles omnino est, etiam diuinitis, vt idem homo positus in duobus locis in vno eorum assentiatur, & in altero dissentiat, aut in vno amet, & in alio oderit idem obiectum simul tempore; nec non, vt in vno loco habeat gratiam, & in altero graue peccatum. Tantumdemque de similibus venit dicendum.

328 Id quod longè euentius cernitur in alijs prædicatis, quæ citra omne dubium metaphysicè sunt contraria eidem subiecto sumpto præcisè, & independenter ab omni loco, & præsentia locali, imò & ab existentia actuali; vt, esse simi-

le, & dissimile; esse æquale, & inæquale eidem, extremo; esse distinctum ab alio quopiam, & identificatum cum illo, &c. Euentissimè enim repugnat prorsus, quòd homo billocatus entitatiuè sit in vno loco dissimilis, & in altero similis, aut in vno loco inæqualis, & in altero æqualis Angelo; aut in vno loco ab illo distinctus, & in altero cum illo identificatus, &c.

Iam ex secundâ parte propositionis constat; quomodo homo prout existens tantum. 329
Matriti non possit esse simul distans à Româ, atque contiguus Romæ. Quia respectu hominis prout existentis tantum Matriti metaphysicè contraria sunt talia prædicata. Et tamen, ei prout existenti in duobus locis ambo simul absque contrarietate conueniunt; nempe prout existenti Matriti, esse à Româ distantem, & prout existentem in spatio contiguo Romæ esse Romæ contiguum. Tantumdemque est de prædicatis motus, & quietis. Quia prorsus repugnat idem ens in eodem loco moueri simul, & quiescere. Moueri tamen illud in vno loco, & simul quiescere in alio, non est, vnde repugnet.

Verum contra primam partem propositionis obijci potest ex Carlet. Prædicata, quæ 330
comparatione vnus subiecti prout existentis in vno tempore sunt prorsus repugnantia, comparatione eiusdem prout existentis in distinctis temporibus talia non sunt, quocumque modo tale subiectum sumatur, siue consideretur. Ob id enim homo facilè potest habere hodie assensum, & cras dissensum, aut hodie amorem, & cras odium eiusdem obiecti; nec non hodie gratiam, & cras peccatum graue, & similia; cum tamen prorsus illi repugnet, habere simul talia extrema in eadem mensurâ temporis. Ergo prædicata, quæ comparatione vnus subiecti quouis modo considerati prout existentis in vno loco sunt prorsus repugnantia, comparatione eiusdem prout existentis in locis distinctis talia non erunt. Quia, sicut idem ens prout existens in pluribus temporibus pluribus entibus æquualet; ita & prout existens in pluribus locis.

Pro exactâ huius argumenti, aliorumque 331
illi similibus solutione suppono vt certum, hoc differre locum, & tempus, quòd partes loci permanentes sunt, qua ratione sunt; partes verò temporis successiuè fluunt. Vnde fit primò, vt plures vocationes in pluribus locis simpliciter possint esse existentes, plures verò durationes in pluribus temporibus non item, sed vna tantum; nimirum, quæ tempori præsentis responderet; hæc enim sola existit. Nam omnes præterita iam non existunt, sed extiterunt; & omnes futura nondum existunt, sed existent. Secundò fit, id solum existere simpliciter, quod de præsentis existit, seu durationem præsentem habet. Secus, quod non existens de præsentis vel extitit antea, vel postea existet. Atque ita vnumquodque in solo vno tempore posse esse existens simpliciter; in pluribus verò simul nequaquam. Cum tamen vnumquodque tum in vno loco, tum etiam in pluribus simul possit esse existens simpliciter. Tertio fit, quæcumque quoduis ens potest, aut non potest prout existens simpliciter, ea utique posse, aut non posse in solo vno tempore, nempe in præsentis; secus in pluribus; cum tamen non in solo vno loco, sed etiam in pluribus possit, aut non possit. Vnde fit quartò, vt quoduis ens in ordine ad ea, quæ potest, aut non potest præci-

præcisè prout existens simpliciter, perinde se habear in quolibet tempore præsentè, ac si non existisset in antecedente, neque esset in sequente exiturum; & consequenter ac si esset alterum à se ipso prout coniuncto cum præterità, aut cum futurà duratione, Quod est in ordine ad prædicta æquiualemter, quodammodo esse illud plura prout existens simpliciter in pluribus temporibus præsentibus successiuè fluentibus, Cum tamen nullatenus sic se habeat prout existens simpliciter in pluribus locis. Hæc dicta de ente comparato ad ea, quæ potest, aut non potest prout existens simpliciter. De comparato vero ad ea, quæ potest, aut non potest consideratum secundum se cum præcisione ab existentia, rursus suppono etiam, ut certum; illud eodem modo se habere prout existens in vno, aut pluribus temporibus, ac prout existens in vno, aut pluribus locis. Quia quæcumque ei competunt, aut non competunt cum præcisione ab existentia, consequenter ei competunt, aut non competunt cum præcisione à loco, & tempore siue vno, siue multiplici, ut est notissimum.

332 Ex his constat primò, per argumentum propositum nihil probari. Siquidem constat, prædicata, quæ cum præcisione à loco contraria sunt alicui subiecto prout simpliciter existenti; (qualia sunt assensus, & dissensus; amorque, & odium eiusdem obiecti; peccatum, & gratia; atque similia); non posse non ei repugnare tam respectu vnus, quam respectu plurium locorum: cum tamen respectu tantum vnus temporis, non itidem respectu plurium illi repugnent, Quod est, æquè non posse tale subiectum talia prædicata sufferre positum in pluribus locis, ac positum in vno solo. Cum tamen positum in pluribus temporibus bene possit sufferre illa, licet positum in vno solo non possit.

333 Secundò constat, aliud esse de prædicatis contrarijs alicui subiecto sumpto secundum se cum præcisione ab existentia; (qualia sunt, esse simile, & dissimile; æquale, & inæquale eidem extremo; & alia huiusmodi). Hæc enim ut repugnant ipsi tam respectiuè ad plura loca, quam respectiuè ad vnum; ita quoque repugnant ipsi tam respectiuè ad plura tempora, quam respectiuè ad vnum. Manifestè enim est impossibile, quòd homo in vno tempore sit dissimilis Angelo, & in alio similis quoad essentiam, æquè, ac est impossibile, quòd sit dissimilis in vno loco, & similis in alio. Ut hinc appareat, quàm multifariam decipiuntur, qui in distinctè pronuntiant, in ordine ad sufferenda prædicata opposita idem subiectum æquiualemter pluribus quatenus positum in pluribus siue locis, siue temporibus.

Propositio 4.

334 Prædicata physicè contraria comparatione eiusdem subiecti sumpti cum præcisione à loco æquè sunt ei connaturaliter repugnantia posito in pluribus locis, quàm posito in vno. Quæ verò sunt physicè contraria eidem subiecto reduplicatiuè prout existenti in vno loco, bene poterunt ei con-

naturaliter conuenire prout existenti in pluribus.

Dico prædicata physicè contraria comparatione alicuius subiecti ea, quæ licet absque contradictione, atque adeò simpliciter possunt ei simul conuenire; naturaliter tamen, & citra miraculum ei simul conuenire non possunt, ut, esse frigidum, & esse calidum simul in gradibus intensis. Pro quo recognosci possunt dicta in Pharo Scient. disput. 14. de oppositione entium.

Hoc positò, quæcumque in probationem propositionis præcedentis sunt dicta, huic, suà proportionem seruata, ab vnoquoque sunt applicanda, ne repetantur; hoc tamen solo obseruato semper discrimine, quòd ibi de prædicatis contrarijs metaphysicè subiecto fuit sermo, deque potentia, aut impotentia pariter metaphysicè ad ea simul sufferenda; hic verò sermo est de prædicatis contrarijs subiecto dumtaxat physicè, seu naturaliter; de potentiaque, aut impotentia similiter physicè, seu naturali, siue connaturali ad simul sufferenda illa. Condistinguntur autem in præsententi potentia, & impotentia naturalis, & connaturalis quatenus prima absolute est iuxta exigentiam, & ius naturæ; secunda verò ex suppositione alicuius miraculi.

Itaque, quemadmodum est impotens quodvis subiectum naturaliter ad recipiendum simul tempore calorem, & frigus in gradibus intensis prout existens in vno loco, ita etiam impotens est, quamuis exillat in duobus. Ut enim positum in vno loco nequit recipere naturaliter calorem, ut sex, & frigus ut septem; sic nec positum miraculose in duobus locis poterit connaturaliter, atque adeò citra nouum miraculum recipere in vno calorem ut sex, & in altero frigus ut septem. Quia hæc accidentia in gradibus intensis contraria sunt physicè cuius subiecto cum præcisione à loco iuxta priorem partem propositionis. Unde sequitur, si subiecto simul posito Matriti, & Romæ applicaretur Matriti agens calidum valens, quantum est ex se, calefacere illud ut sex, & Romæ agens frigidum valens, quantum est ex se, frigefacere illud ut septem, fore, ut non magis intensum calorem, & frigus connaturaliter possent in tali subiecto producere, quàm si ipsi in vno tantum loco applicata essent; nimirum agens calidum quatuor ferme gradus caloris produceret, & agens frigidum totidem ferme frigoris; quia octo dumtaxat graduum ex hisce duabus qualitatibus sic, aut aliter attemperatis est capax naturaliter quoduis subiectum, ut supponimus.

337 Tam verò pro posteriore parte propositionis exemplum esse potest duplex approximatio, seu contiguitas, duplexque actio eam supponens duorum agentium exactè, & integrè circundantium idem subiectum, & in illo producentium effectum. Talis enim duplex approximatio duorum agentium, & duplex actio ex illa oriunde non est possibilis, nisi talia agentia sint localiter penetrata; atque adeò naturaliter dari non potest, si subiectum sit tantum in vno loco, quia naturaliter dari non potest duorum agentium corporeorum (de quibus est sermo) penetratio. Si verò tale subiectum in duobus locis positum sit, vnum eiusmodi agentium in vno loco, & alterum in altero poterit illud exactè, & integrè ambire, ut sicque in eo agere. Fietque, ut duo hæc accidentia contraria physicè eidem subiecto respectiuè ad locum connaturaliter ipsi conueniant prout existenti

stenti in duobus locis; tamen si prout existenti in solo vno ei naturaliter repugnet, Ex quibus vna cum dictis circa præcedentem propositionem præsentem, prout dictum est, applicandis hæc vtrique satis superque probata, simul & explicata manet.

338 Ex dictis autem circa vtramque inferitur vniuersè; quæcunque quoduis subiectum siue physicum inhesionis, siue logicum prædicationis prout existens in vno loco simul suscipere non potest, siue simpliciter ob impotentiam metaphysicam, siue naturaliter ob impotentiam physicam oriundam aut ex illorum oppositione, aut ex propria sui incapacitate; ea quidem neque posse similiter illud suscipere prout existens in pluribus locis, quando talia sunt, vt tali subiecto sumpto cum præcisione à loco conueniant, vt plerunque fit. Quando verò sunt talia, vt conueniant tali subiecto prout existenti loco reduplicatiuè, sæpe illa posse ab eo prout existente in diuersis locis suscipi aliquo ex dictis modis; tamen si similiter non possint prout existente in vno solo. Quæ per exempla in præcedentibus exhibitæ, perque alia innumera, quæ in varijs materijs poterit quisque excogitare, conspicua cunctis reddendâ veniunt.

Propositio 5.

339 Quæcunque non potest aut simpliciter, aut naturaliter quoduis agens simul tempore efficere positum in vnico loco, nec potest positum in pluribus, spectatâ præcisè virtute intrinsicâ actiuâ eius. Spectato vero iuuamine, quod sæpe poterit ei præstare pluralitas vocationum in pluribus locis, in ipsis pluribus locis positum sæpe poterit simul tempore efficere, quæ non potest in vno.

Ratio prioris partis propositionis est. Quia ex eo, quod agens collocetur in pluribus locis, virtus intrinsicâ actiuâ eius non augetur; quia non augetur eius essentia, à qua talis virtus realiter est indistincta, vt constat.

340 Posterior autem pars propositionis inde probatur. Quia vocatione bifariam adiuuat agens ad operandum in tali passo, in talique spatio locali potius, quàm in alio. Primò reddens illud simpliciter potens agere ibi, vbi ex alio loco distanti nullâ potentia possit agere, adhuc diuinitus, iuxta doctrinam stabilitam supra quæst. 12. Secundò præbens ei ius naturale ad talem, & tantam actionem in tali subiecto, ad qualem, & quantum non haberet alibi positum. Vnde fit, vt agens positum in pluribus locis simpliciter imprimis possit simul tempore agere in pluribus spatijs localibus, in pluribusque subiectis distantibus inter se; quod nullâ potentia possit præstare positum in vno loco solo. Deinde connaturaliter possit sæpe producere talem, ac tantum effectum in dictis spatijs, & subiectis, qualem, ac quantum in vno solo eorum non possit.

341 Quod vt plenius intelligatur, suppono primò vt prorsus certum, potentiam naturalem, quam quoduis agens creatum habet ad operandum in passo sibi approximato, finitam, & limitatam esse, adeò, vt solum possit producere simul tempore effectum, aut effectus talis naturæ siue speciei, & non alterius; in tantaque

quantitate tum continuâ, tum discretâ, & non in maiore. Dico potentiam naturalem. Quia potentia obediens, quam in multorum Doctorum sententia habet quæuis creatura ad producendum vt instrumentum Dei quemuis omnino effectum possibilem, quamdam in suo genere infinitatem habet, vt suo loco explicabimus. Vbi de sententiâ istâ nostrum iudicium exhibebimus. Modò pro quæstione præsentem ponamus, eam veram esse.

Suppono secundò etiam vt certum, quando agens nullam in passo dispositionem aliunde, prouenturam requirit ad suum effectum producendum, neque contrarium sibi resistens habet, totum, quod suâ naturali potentia potest, simul operari: quia ad totum simul est ipsi naturaliter actio debita. Quando verò aut aliquam in passo dispositionem aliunde prouenturam requirit, aut contrarium sibi resistens habet, penes maiorem, vel minorem aut dispositionem passi, aut resistentiam contrarij vel magis, vel minus efficaciter operatur, Quia non ad totum, quod suâ naturali potentia potest, & exigit simpliciter, confertur actio, sed ad id tantum, quod ei debetur iure naturæ, attentâ dispositione passi, aut resistentia contrarij. Quod debitum penes maiorem, vel minorem dispositionem passi, penes minoremque, vel maiorem resistentiam contrarij enadit maius, vel minus, siue ad efficaciorum, vel minus efficacem actionem. De quo plura suo loco.

His positis, si sermo sit de potentia obediens agentis ad quilibet supernaturaliter efficiendum vt instrumentum Dei, dico, plus posse illud in pluribus locis, quàm in vno solo, locatum. Quia in vno tantum loco positum neque diuinitus potest agere simul in pluribus spatijs, aut passis inter se distantibus, producendo in illis plures effectus; vti potest, si in ipsis pluribus spatijs, aut in contiguis positum sit, iuxta doctrinam stabilitam quæst. 12. Hæc tamen maior potestas eo reducitur, vt plures præsentias locales suorum effectuum, & actionum possit agens simul causare in pluribus locis collocatum, quàm collocatum in solo vno. Effectus namque ipsos cum suis actionibus per se independentes à loco determinato omnes, quos potest causare in pluribus locis, potest diuinitus causare in vno; tamen inter se penetratos.

Si verò sit sermo de potentia naturali agentis, dico deinde, etiam per illam posse agens positum in pluribus locis plures præsentias suorum effectuum, & actionum connaturaliter causare, quàm adhuc diuinitus possit in vno solo, iuxta eandem doctrinam ex quæst. 12. citatam, & nuperrimè dicta.

Quod attinet verò ad ipsos effectus, & actiones independentes à loco determinato, dico præterea, quando agenti posito in vno loco debetur actio ad totum, quod suâ potentia naturali potest, & exigit simpliciter, non plus acturum illud connatur aliter positum in pluribus locis, quàm positum in eo vno: quia non potest ipsi plus in pluribus, quàm in vno deberi; siquidem in vno, vt supponimus, debetur totum, quod potest, & exigit simpliciter. Diuidetur tamen connaturaliter eius actio, & effectus in pluribus locis, & passis, vt in eis omnibus diuisum producat, quod coniunctum produceret in vno, si ibi tantum locatum esset. Itaque,

Itaque, si luminosum tantum Marti collocatum, & applicatum passo perfecte diaphano naturaliter valet in eo producere septem gradus luminis, nec amplius suâ potentia naturali potest, & exigit; casu, quod simul Romæ ponatur alteri passo æquè diaphano applicatum, non producat connaturaliter eisdem septem gradus luminis Marti, & simul aliquos alios gradus Romæ, sed diuisâ actione connaturaliter producat Marti tres gradus cum dimidio, & totidem Romæ. Quia eius potentiam naturalem ad plures extendi simpliciter est impossibile; proindeque plures, quàm septem, ei deberi non possunt; & non est, cur in casu posito aut omnes in altero dictorum locorum, aut aliter in vtroque diuisi inæqualiter debeantur. Pariterque philosophandum est de cæteris eiusmodi casibus.

346 Si verò agenti posito in vno loco non debetur totus effectus, quem simpliciter potest, & exigit suâ potentia naturali; scilicet, quia agens contrarium per potentiam, & exigentiam contrariam illi resistit; tunc fieri poterit, ut ipsi posito in pluribus locis plus debeatur; plusque subinde possit connaturaliter possium in pluribus locis, quàm posito in vno solo. Sit enim ignis aliàs potens, & exigens simpliciter suâ potentia naturali producere septem gradus caloris, debeaturque illi Marti posito productio trium dumtaxat propter resistantiam contrarij, certe si Marti dumtaxat sit, eos tantum naturaliter producere poterit, si verò simul ponatur Romæ, ibique ius ad alios tres in altero passo producendos cum contratio ibidem existente sit compatibile, omnes sex simul valebit connaturaliter producere. Quia ex vnâ parte omnes sex simul virtutem, & exigentiam eius naturalem non excedunt; & ex alia ius Martitense ad tres gradus non impedit ius Romanum ad alios tres; quia sunt iura ad gradus producendos in diuersis passis connaturaliter, & simul eorum capacibus, Per quæ omnia propositio data satis, superque explicata, & confirmata manet. Quidquid autem contra illam opponi potest, ex dictis in præcedentibus facile quisque diluet.

QVÆSTIO XV.

Quanam accidentia possint, aut etiam debeant conitari subiectum suum in pluribus locis collocatum.

347 **Q**uestio est tam de potentia metaphysicâ, siue absolutâ, quàm de physica, siue connaturali. Necnon tam de accidentibus supra essentiali dependentibus ab spatio locali determinato, siue ei affixis, ut sunt vbiatio, & modi eius; quàm de independentibus, indifferentibusque subinde ad existendum vbiabit, ut sunt color, calor, odor, & cætera huiusmodi.

Propositio I.

348 Non repugnat de potentia absolutâ, ut ens posito in pluribus locis secum habeat in omnibus illis omnia accidentia

suâ, quæ non sunt dependentia à loco, siue ab spatio locali determinato.

Ita tenent omnes Doctores. Et ratio est clara. Quia supposito, quod subiectum in pluribus locis collocatur, atque adeo collocari potest, uti supponitur, non est, cur accidentia eius independentia à loco determinato non possint æquè in eisdem locis simul cum ipso collocari. Siquidem æquè hæc, atque illud indifferentia sunt ad essendum in quouis loco.

Propositio 2.

Etiam si subiectum ponatur in pluribus locis, non est metaphysicè necessarium, quod accidentia eius in omnibus illis ponantur. Benè tamen quod saltem in vno loco sint simul cum illo, dum existunt cum ipso vnita, aut in ipso recepta.

Priorem partem propositionis tenent Soar. tom. 3. in 3. par. disput. 48. sect. 5. Card. Lugo disput. 5. de Euchar. sect. 2. Petr. Hurt. disput. 14. Phys. sect. 5. Arriag. disput. 14. Phys. sect. 10. Quied. controu. 5. Phys. punct. 10. Carlet. disput. 35. Phys. sect. 7. Spinul. disput. 10. Phys. sect. 6. artic. 3. & alij communiter contra Vazq. tom. 3. in 3. par. disput. 189. cap. 4. Scot. & alios apud ipsum, & apud Soar. supra. Probatur autem primò. Quia dicta accidentia non sunt in loco per solam vnionem sui cum subiecto existente in loco, sed per proprias singulorum præsentias, ut contra ipsum Vaz. & alios ostendimus quæst. 7. Ergo nihil est, quod metaphysicè prohibeat, esse illa præsentia simul cum subiecto, cui sunt vnita, in vno loco, & non esse præsentia in alijs locis, vbi subiectum ipsum est replicatum. Secundò. Quia vbiatio, quam habet subiectum in vno loco, non transit cum illo ad alia loca; tamen cum illo sit vnita. Ergo & cætera accidentia, quæ subiectum habet in vno loco, quantumvis sint vnita cum illo, benè poterunt ad alia loca cum illo non transire. Tertiò denique. Quia anima rationalis de facto aliqua accidentia habet in capite, quæ tamen non habet in pede, vbi est replicata, ut constat. Ergo possibile est, quoduis subiectum billocatum habeat accidentia in vno loco, quæ non habeat in alio.

Dices cum Vaz. supra. Si subiectum esset 350 album in vno loco, & non esset album in alio, absolutè esset album, & non esset album; quæ est manifesta contradictio: quia quæ conueniunt aut non conueniunt subiecto independentè à loco, è quorum genere est albedo, æquè verificantur de illo absolutè, ac respectuè ad locum. Respondet, quando subiectum album in vno loco dicitur non esse album in alio, non negari de subiecto albedinem; alioquin & absolutè posset negari iuxta argumentum factum, sequereturque contradictio, quam ipsum præterdit; sed negari præsentiam albedinis in tali loco. Ex qua negatione non sequitur negatio albedinis independentis à loco, Proindeque nec benè inferitur, subiectum absolutè non esse album, ex eo, quod sit verum, in sensu dicto, illud non esse album in tali loco: qualiter dumtaxat est verum, quando verè est album in alio. Recognosce doctrinam traditam supra quæst. 9.

Iam

351 *Iam verò secunda pars propositionis probatur. Quia, dum existunt accidentia vnita subiecto, alicubi necessariò debent existere iuxta generalem doctrinam stabilitam supra quæst. 8. At est impossibile, quòd existant in loco separato, siue distanti ab omni loco subiecti, prout supra quæst. 13. proposuit. 3. statutum est. Ergo necesse est, quòd existant in aliquo saltem locorum, in quibus existit subiectum.*

452 *Sed dubitari potest, an saltem actio conseruatiua subiecti debeat necessariò comitari illud in omnibus locis, vbi illud est positum. Negat Oued. supra num. 11. Affirmat verò Carlet. supra sect. 8. Ego cum Card. Lugo supra num. 36. arbitror, impossibile esse, vt aliqua creatura sit in aliquo loco, & non sit in eodem aliqua actio, qua dependeat à Deo. Esse tamen possibile, vt actio, qua creatura dependet à Deo in vno loco, non sit simul cum illa præsens in alijs, in quibus illa præsens est. Primum inde probatur. Quia, de essentiali creaturæ est, actu dependere à Deo medià aliquà actione; aut distinctà à se, aut indistinctà. Ergo, vbi que sit creatura, debet esse actu pendens à Deo medià aliquà actione; qualiter esse nequit alicubi, nisi ibidem sit talis actio, vt satis ex se videtur notum. Secundum autem, inde probatur. Quia ex vna parte actio A solum exposcit essentialiter, vt sit secum præsens suus terminus, vbi ipsa est, iuxta doctrinam vniuersalem de præsentia modorum datam supra quæst. 13. neuiquam tamen exposcit ipsa esse præsens, vbi que est terminus suus; sicut neque vbi que est principium suum, vt constat in actione oriundà à Deo, nec tamen præsentem, vbi que est Deus. Ex alià verò parte creatura non potest essentialiter actionem A determinatam, vt dependeat à Deo absolute, atque adeò neque, vt dependeat à Deo in omni loco, vbi præsens est, sed tantum aliquam actionem, quæcunque ea sit. Ergo possibile est, creaturam actu pendere à Deo per actionem A in vno loco, & in alio non per eandem, sed per aliam diuersam. Quod ipsum est, actionem A posse simul cum suo termino esse præsentem in vno loco; quin sit præsens cum illo in alijs, vbi ille præsens est.*

Propositio 3.

353 *Si collocetur subiectum in pluribus locis, in omnibus illis debent etiam connaturaliter collocari accidentia eius, quæ neque loco determinato sunt affixa naturà suà, neque ab agente creato extrinseco in vno tantum loco existente sunt dependentia in conseruari.*

Hæc propositio communis est apud Doctores: eamque tenent omnes relati proposuit. 2. Probaturque primò. Quia eiusmodi accidentia semel subiecto vnita, ac per vnionem velut possessa quasi suppellex sunt ipsi connaturaliter debita, vbi que sit; ob id enim illa fert secum naturaliter, dum mouetur localiter, vt experientia monstrat. Ergo ex suppositione, quòd illud sit in pluribus locis, non potest non connaturaliter habere illa secum in omnibus. Secundò. Quia, vt docet Trident. sess. 13. cap. 3. licet solum corpus, & solus sanguis Christi domini ponantur ex vi verborum in sacramento Eucharistiæ; ob vnionem tamen eorum cum animà, & cum diu-

nitate, ipsa quoque anima, & ipsa diuinitas ponuntur per concomitantiam. Eodemque vnionis titulo, docent communiter Theologi, habere Christum dominum connaturaliter in Eucharistia accidentia independentia à loco, quæ habet in Cælo. Tantumdem ergo dicendum est de quolibet alio subiecto in pluribus locis collocato. Itaque in omnibus debet illud secum habere connaturaliter omnes suas partes, & cætera accidentia sibi inherentia, vel vnita. exceptis, quæ determinato loco affiguntur, & quæ in conseruari dependent ab aliquo agente creato extrinseco. Quæ quidem excipio propter mox dicenda proposuit. 4. & 5.

Propositio 4.

354 *Accidentia affixa essentialiter determinato spatio locali, qualia sunt præsentia localis, & modi eius, nec debent, nec possunt connaturaliter poni in pluribus locis, etiam ex suppositione, quòd eorum subiectum in illis replicatum ponatur.*

Ita tenent omnes Doctores vnanimiter, Probaturque primò. Quia, si subiectum deberet, aut posset connaturaliter habere secum talia accidentia, vbi que esset, dum ex vno loco ad alium mouetur, præsentiam, quam in illo habebat, ad alium secum ferret. Quod, certum est, non ita euenire. Secundò. Quia sequeretur indidem, posse, & debere dari connaturaliter processum præsentiarum in infinitum. Cum enim, collocato subiecto simul Matriti, & Romæ, præsentia eius Matritensis non per se ipsam, (quia id prorsus repugnat, cum non sit per se præsentia Romana); sed per præsentiam Romanam sibi accrescentem deberet poni Romæ; hæc rursus eodem iure deberet per aliam Matritensem adiunctam sibi poni Matriti; & hæc Matritensis similiter per aliam Romanam poni Romæ; & ita deinceps sine fine. Quod quàm sit absurdum, & impossibile, nemo non videt. Tertio denique. Quia subiectum existens simul Matriti, & Romæ nullo titulo exigit habere secum Romæ præsentiam Matritensem, vt exigit habere alia accidentia; siquidem Romæ nequit habere effectum formalem ipsius, sicut aliorum accidentium, essendi scilicet præsens Matriti; vt constat. Sed neque præsentia ipsa Matritensis exigit ratione sui esse Romæ, vt est notum. Ergo adhuc supposito, quòd subiectum simul sit præsens Matriti, & Romæ, nulla datur exigentia naturalis, vt præsentia eius Matritensis ponatur Romæ; sine qua nequit esse connaturaliter possibile, nedum debitum, quòd ea Romæ ponatur, tantumdemque de modis præsentia venit dicendum. Vtram autem ista accidentia spatio determinato affixa diuinitus in alijs spatijs locari possint, proposuit. 6. videbimus.

Propositio 5.

355 *Etiã ex suppositione, quòd subiectum sit positum in duobus locis, accidentia eius, quæ dependent in conseruari ab aliquo agente existente tantum in vno, nec debent,*

debent, nec possunt connaturaliter poni simul in alio.

Hæc propositio est contra Card. de Lugo Quied. & alios ex citatis proposit. 2. Qui censent, si homo existens simul Matrini, & Romæ à lucernâ eistente tantum Matrini accipiat lumen, speciemque, qua videat illum, huiusmodi lumen, speciem, & visionem connaturaliter debere etiam poni Romæ: idque vel translata ad Romam eadem actione, qua lumen, species, & visio dependent in fieri, & conservari à dictâ lucernâ Matrini; vel solum translatis ipso lumine, specie, & visione, & conservatis Romæ à Deo per aliam actionem. Ego vero oppositum censeo, statuoque univèrsè in præsentis propositione,

356 Et quidem, quòd actio oriunda à lucernâ existente tantum Matrini nullatenus possit, adhuc de potentia absoluta, fieri præfens Romæ, inde constat: quia existeret alicubi modus sine re, cuius est modus; quòd est simpliciter impossibile, ut in univèrsum probavimus supra quæst. 13. Quòd autem effectus talis actionis connaturaliter non possit, nedum debeat, locari Romæ, inde probatur: quia effectui omnino pendenti in fieri, & conservari ab aliqua causâ creatâ nullo naturali iure debetur existentia, atque adeò neque præsentia in absentia talis causæ. Ob id enim, cum remouetur lucernâ à loco, ubi erat, lumen, aut etiam species, & visio ipsius, quam ibi causabat, statim perit naturaliter. Igitur effectibus prædictis omnino pendentibus in fieri, & conservari à lucernâ Matrini, quæ à Româ absens est, nullo naturali iure debetur præsentia Romana; proindeque Romæ connaturaliter poni non possunt. Nec refert, esse eos tenerâ unitos corpori existenti simul Matrini, & Romæ, in epque etiam receptos: quia unio, & receptio hæc, ut nequeunt præstare, quòd tales effectus prout existentes Romæ à sua causâ naturali non existente Romæ dependeant: quia id repugnat, adhuc supernaturaliter, ut dictum est: ita neque fundare possunt ius ad eorum præsentiam Romanam ab aliâ causâ oriundam. Propterea enim, anima nostra aliqua accidentia habet sibi præsentia prout existentia in capite, quæ non habet sibi præsentia prout existentia in pede; tamen illi referà unita, aut etiam in ipsa recepta sint: quia causâ à quibus talia accidentia in fieri, & conservari dependent, in solo capite, non item in pede præsentia sunt.

357 Itaque accidentia naturaliter dependentia, in fieri, & conservari à causâ existente in vno tantum loco, non possunt, atque adeò nec debent connaturaliter poni præsentia in pluribus, etiam ex suppositione, quòd sit præfens in ipsis pluribus eorum subiectum. In quo differunt ab accidentibus, quæ semel producta à suâ causâ aut à suo subiecto, aut à Deo naturaliter conservantur. Hæc enim, si non sunt loco determinato affixa, connaturaliter debent comitari suum subiectum, in quibuscunque locis ipsum fuerit, etiam si causâ primò producens illa in vno tantum loco sit: nimirum, quia præterquam quòd tali subiecto sunt unita, aut etiam in eo recepta, insuper habent in omnibus locis illius præsentem causam conservativam sui naturaliter, productivamque subinde connaturaliter præsentiarum sui in omnibus illis. Sic, si lignum existens simul Matrini, & Romæ ab igne

existente solum Matrini calefiat, calor qui in illo recepit naturaliter conservaretur à Deo in absentia ignis, & pro eo tantum tempore, quo conservaretur connaturaliter, debet poni etiam præfens Romæ à Deo ipso. Quòd si in materiam ligni forma ignis introducatur ab igne Matrini, connaturaliter debet item talis forma poni etiam à Deo præfens Romæ in eadem materiam Romæ existentem introducâ; quatenus etiam in absentia ignis, à quo fuit producta, à Deo ipso naturaliter est conservabilis. Similiterque de similibus philosophandum est.

Propositio 6.

Accidentia affixa essentialiter determinato spatio locali, qualia sunt præsentia localis, & modi eius, absque contradictione, atque adeò de potentia Dei absoluta possunt in alijs locis præsentia poni. Atque adeò comitari subiectum suum ubicunque illud sit.

Hæc etiam propositio est contra Card. Lugo Quied. & alios ex relatis proposit. 2. Eam tamen tenent Spinul. disp. 10. Phys. sect. 6. art. 4. & alij Recentiores. Potissima autem eius probatio est. Quia ex eo, quòd præsentia simul cum suo subiecto per aliam præsentiam superadditam collocetur in alio spatio locali ab eo, cui per se, ipsam affixa est, nulla sequitur contradictio, ut ex solutione argumentorum, quibus oppositum probari intenditur, constabit. Ergo id est simpliciter possibile, atque adeò exequibile per divinam omnipotentiam. Dico per aliam præsentiam superadditam. Quia certum est, præsentiam soli spatio A per se affixam non posse per se præsentem fieri insuper spatio B: quia esset etiam, spatio B, & non soli spatio A per se affixa contra suppositionem. Dico item simul cum suo subiecto. Quia hoc ipso, quòd præsentia est modus sui subiecti, uti statimus supra quæst. 1. proposit. 3. nec de potentia absoluta potest alicubi collocari absque subiecto suo, ut constat ex generali doctrinâ de ubicatione modorum traditâ etiam supra quæst. 13.

Deinde probatur propositio quasi à priori. 359 Quia solum prædicatum affixionis, quam habet præsentia localis ad proprium spatium, obliare posset, quominus ea in alijs spatijs collocabilis esset; siquidem in cæteris prædicatis cum cæteris entibus ubilibet collocabilibus convenit, ut notum est. At tale prædicatum non obstat. Ergo, cætera patent, Minor probatur: Quia præsentia indivisibilis replens per sui replicationem spatium divisibile, quam ex communi Doctorum sententia possibilem esse statimus supra quæst. 4. cuilibet parti talis spatij est affixa per se; & nihilominus insuper est per se præfens in alijs: tantumdemque suo modo habet immensitas Dei. Ergo prædicatum affixionis ad vnum spatium non obstat; quominus præsentia illius habens possit in alio esse præfens per se. Ergo neque obstat; quominus possit esse præfens in alio per aliam præsentiam superadditam, prout nostra propositio fert. Probo hanc consequentiam. Quia facilius citra dubium videtur, quòd possit quidpiam in vno loco per se; & in alijs per præsentias superadditas replicari, quam, quòd possit repli-

replicari in omnibus per se. Quandoquidem adhuc sunt, qui opinentur, non esse possibile, quidpiam per se replicatum in pluribus locis; cum tamen apud omnes sit certum, de facto Christum dominum in pluribus locis inadæquatis per præsentias superadditas quotidie replicari.

360 Obijcitur tamen primò contra nostram propositionem. Duratio vni tempori affixa neque diuinitus potest per aliam superadditam in alio tempore durare. Ergo neque præsentia vni loco affixa potest diuinitus per aliam superadditam locari in alio loco. Concesso antecedente; nego consequentiam. Primò propter discrimen temporum, & locorum. Tempora quippe successive habent esse: atque ideo id solum tempus est, quod præsens est; præterita enim iam non sunt, & futura non dum sunt. Cum tamen loca, vtpote permanentia, simul omnia sint. Vnde duratio impotens existere, nisi, cum tempus, cui affigitur, est, consequenter est impotens durare in alio; quia in nullo potest durare sine existentia; & nequit existere, cum aliud est; eo quòd cum aliud est, suum necessariò non est. At verò præsentia, etsi impotens existere, nisi cum locus, cui affigitur, est, bene potest locari in alio; quia potest existere, cum aliud est; eo quòd, cum aliud est, & suum quoque simul est. Secundò propter discrimen præsentiarum, & durationum. Non enim est possibilis duratio affixa per se pluribus temporibus, vti est possibilis præsentia affixa per se pluribus locis; prout infra disput. 8. quæst. 3. videbimus. Ex quo infertur, neque esse possibilem durationem, quæ sit vni tempori per se affixa, & possit per aliam superadditam in alio durare; (vni est possibilis præsentia, quæ affixa vni loco possit per aliam superadditam in alio locari); iuxta dicenda in eadem disput. 8. quæst. 8.

361 Secundò obijcitur. Si vbiatio, qua Petrus est præsens Matrìti, vnà cum ipso Petro fieret per aliam superadditam præsens Romæ, eundem effectum formalem tribueret Petro Romæ, quem tribuit Matrìti. Atque ita Romæ esset Petrus præsens Matrìti. Quod planè est chymæricum. Quia nequit Petrus esse Romæ præsens Matrìti, nisi habens esse intra spatium Matritense, prout est intra spatium Romanum: & hoc fieri nequit, quin sit spatium Matritense intra Romanum. Quod manifestè est impossibile. Hoc argumentum eodem pacto venit formandum contra præsentiam (quæ communiter reputatur possibilis) per se ipsam replicatam in pluribus locis, & contra immensitatem Dei præsentem per se ipsam vbiq; atque adeò Matrìti, & Romæ. Ab omnibusque proinde dissolui debet. Ego pro omnibus respondeo ad illud ex doctrinà traditã supra quæst. 1. & 4. hoc, quod est, esse Petrum præsentem Matrìti, præter præsentiam Matritensem, spatium etiam locale Matritense, cui illa respondet, includere in suo conceptu reali; defectu cuius talis præsentia translata vnà cum Petro ad Romam non redderet Petrum prout existentem Romæ præsentem Matrìti. Quo oppositum argumentum penitus corrui. Recognoscatur doctrinã data locis citatis. Ex qua infertur, non bene concedi à Card. Lugo vbi supra, Deum, prout est præsens in quouis loco, præsentem esse vbiq;. De quo disput. 6.

362 Tertio obijcitur. Non est fundamentum ad tribuendam præsentia potentiam receptiuam

alterius præsentia, per quam in alio spatio à suo præsens reddatur. Ergo illi tribuenda non est. Nego antecedens. Quia rationes pro datã propositione à nobis adductæ sufficiens, imò & impellens ad id fundamentum præbent.

363 Quarto obijcitur. Præsentia dumtaxat ordinatur naturã suã ad reddendum suum subiectum præsens spatio locali. Sed tantum potest reddere illud præsens spatio locali, cui ipsa est affixa; non alteri. Ergo tantum potest ipsa esse præsens eidem spatio, non alteri. Distinguo maiorem. Dumtaxat ordinatur, &c. ordinatione naturali; concedo: ordinatione obedienciali; nego. Quia hac ad alia insuper, quæ obediencialiter potest, ordinatur. Et concessã minore; distingo consequens. Tantum potest ipsa esse præsens eidem spatio potentia naturali; concedo: potentia obedienciali; nego. Quia hac alijs insuper spatijs potest esse præsens; vt constat ex dictis.

364 Quinto obijcitur. Si præsentia Matritensis poneretur Romæ, esset distans, & simul indistans à Roma. At hoc repugnat. Ergo. Respondeo. Si præsentia Matritensis poneretur Romæ, fore, vt quatenus præsens Matrìti esset distans à Roma; indistans verò quatenus præsens Romæ. In quo nulla est repugnantia. Sicut neque in eo, quòd Deus prout præsens Matrìti sit distans à Roma, & indistans prout præsens Romæ. Hoc enim reipsa aliud non est, quàm spatium Matritense inclusum in priore de nominatione esse distans à Romano, & Romanum inclusum in posteriori esse indistans à se.

365 Sexto denique obijcitur. Vna actio non potest fieri per aliam actionem adhuc ab agente diuerso. Ergo vna præsentia non potest præsentari per aliam præsentiam adhuc in spatio diuerso. Nego antecedens cum doctis Recentioribus. De quo alibi. Et quidem vnã vnionem partium quantitatis per aliam vnionem vniri substantia, de facto enenit iuxta sententiam communissimam.

366 Existimo tamen nihilominus, omnino repugnare præsentiam, quæ superaddita præsentia ipsam iteratò reddat præsentem eidem spatio locali, cui ipsamet per se essentialiter affixa, & præsens est. Quia talis præsentia superaddita essentialiter esset superflua. Et sicut est impossibile naturaliter, quòd naturaliter est superfluum; ita videtur esse impossibile essentialiter, atque adeò simpliciter; quòd essentialiter superfluum est. De quo alias vniuersaliter, & latius.



DISPUTATIO VI.

De immensitate Dei.

Postquam de vocatione, seu præsentia locali; de locoque, & spatio locali in præced. disput. generatim tractauimus, promptum est, vt in præsentia tractemus speciatim de immensitate Dei, à qua habet ipse præsens esse vbiq;, seu in omni loco.

QVÆSTIO I.

Vtrum Deus sit immensus.

Quanquam immensitas, si ethymologia spectetur, immensurabilitatem, seu potius immensurationem sonet; quia immensum dicitur quasi non mensum. Communi tamen Scholasticorum, atque etiam Patrum usurpatione accipitur pro presentia Dei in omni loco, siue in omni spatio locali; quia videlicet talis presentia ob suam infinitudinem omnem mensuram finitam excedit; eoque iure non solum immensa, sed immensurabilis est. Perinde igitur est impræsentiarum querere, vtrum Deus sit immensus, ac querere, vtrum Deus sit præsens vbiq̄ue, siue in omni loco, siue in omni spatio locali, iuxta dicenda inferius quæst. 6.

Circa quam quæstionem error quorundam fuit, Deum non vbiq̄ue esse presentem per suam substantiam, siue essentiam, sed in aliquo dumtaxat determinato, finitoque loco. Tribuitur hic error imprimis Anthropomorphitis; qui Deum corporeum esse putabant; & consequenter non vbiq̄ue existentem. Deinde tribuit illum Platoni Iustinus in orat. parænet. ad Gent. Aristoteli autem tribuit ipse Iustinus ibid. & D. Ambros. lib. 1. de Offic. cap. 13. nec non Diogenes Laert. in Aristot. Mirand. lib. 4. de exam. v. nit. cap. 1. Eugubini. lib. 4. de perenni Philof. Vazq. 1. par. disput. 27. cap. 1. & alij. Deum quippe in solo cælo residere, videtur ab Aristot. traditum lib. 8. Physic. cap. ult. text. 84. (tametsi hic locus pie exponatur à S. Tho. ibi lect. 23.); & lib. 1. de Cælo cap. 3. text. 22. & lib. 2. de Cælo cap. 12. text. 66. & lib. 2. de generat. cap. 10. text. 59. Expressumque id ipsum est in lib. de Mundo ad Alexandrum post medium; si tamen hic liber est Aristotelis, vt affirmant Iustinus vbi supra, Themistius, & Bessarion Cardinalis citati à Ludouico viues in Censurâ operum Aristotelis: alij enim negant, è quibus est noster Petavius tom. 1. Theologicorum dogmatum lib. 3. cap. 7. vbi eundem errorem, refert, Stoicis attributum à Tertulliano in Apologetico. In eodemque errore fuit Auerroës disput. 14. Metaph. contra Algazel, vbi presentiam Dei vbiq̄ue cogitationem cense puerissem. Præter Ethnicos autem, Iudæos pariter errasse constituentes Deum in solo templo Hierosolymitano, refert Hieron. in illud Isaïæ 66. Cælum mihi sedes est. &c. Thalmudici verò, vt refert Petrus Alf. in Dialogo Petri, & Mosis tit. 1. Dei domicilium posuerunt in Occidente, iam hæretici Manichæi, teste August. lib. contra epistolam fundamenti cap. 21. cum duos Deos contrarios adstruerent; Principium scilicet bonum, & Principium malum, regionibus quoque separabant. Alij Deum ab ista regione inferiore separatam posuerunt, ne sordibus eius inquinaretur, vt refert Anastasius Synaita lib. 2. de rectis fidei catholice dogmatibus tom. 1. Biblioth. & Hugo Victor. lib. 1. de Sacram. par. 3. cap. 17. & in Sum. sent. tract. 1. cap. 4. Quibus ex modernis consensit Vorlius Caluianus, cuius ad rem nugæ referunt, dissentiantque Becan. tom. 1. Sum. cap. 6. de Immen. Dei, & Raynaud. disput. 7. Theolog. natur. quæst. 1. artic. 6. Denique ex catholicis Augustinus Eugubinus in illud

Psal. 138. *si ascendero in cælum, tu illic es, in solo cælo, vult, esse Deum per suam substantiam; vbiq̄ue vero dumtaxat per cognitionem, & potentiam. In eundemque errorem lapsi videntur Tatianus orat. aduersus Græcos pag. 144. Clemens Alexand. lib. 2. Stromat. Auctor. quæstionum & responsonum ad orthodoxos inter opera Iustini, & Lactantius in lib. de Opificio Dei cap. 16. Hi tamen Auctores præter Eugubinum, aut etiam Tatianum, piam explicationem patiuntur, De quo videri potest Petavius vbi supra.*

Veritas tamen catholica est, Deum vbiq̄ue, atque adeo in omni loco, siue spatio locali per suam substantiam esse presentem. Quam vno ore consententur omnes Patres mox referendi. Atque etiam omnes Scholastici, nullo dempto. Quos non oportet recensere.

Propositio I.

De fide est, Deum esse immensum, atque adeo per suam substantiam vbiq̄ue presentem.

Traditur enim veritas hæc tanquam certa, secundum fidem in Concil. Later. sub Innocent. III. & ex eo in cap. *Firmiter* de summa Trinitate, & Fide catholica; atque etiam in Symbolo Athanasij, Constatque satis manifestè ex pluribus scripturæ locis. Et primum ex ijs, in quibus dicitur Deus implere cælum, & terram, atque adeo omnia loca, & entia creata iuxta modum loquendi Scripturæ. Siquidem non potest quidpiam implere aliud, à quo abest localiter, vt est notissimum. Sic Hieron. 23. dicitur *Cælum, & terram ego impleo*. Proindeque ex hoc loco sæpe colligunt Patres, Deum vbiq̄ue presentem esse. Ita Irenæ lib. 4. aduersus hæres. cap. 36. Orig. homil. 12. in Genes. circa principium. Euseb. Cæsar. lib. 9. de Demons. Euang. demonst. 12. Athanas. contra Gregales Sabellij. post medium; & de humana natura Trinitate post medium; & de unitate substantiæ Trinit. lib. 5. sine. Hilar. in id Psal. 118. *Prope es tu Domine*. Ambros. ibidem. Nazianz. orat. 34. quæ est secunda de Theolog. num. 14. Hieron. epist. 146. ad Damas. & in cap. 66. Isaïæ initio, & super relatum locum Hieremiz, August. lib. 2. de Trinit. cap. 5. & tract. 36. in Ioan. & serm. 8. de Verbis Apost. cap. 1. & epist. 51. ad Dardanum quæst. 1. Cyrill. Alex. lib. 13. Thesau. cap. 2. Theodoret. in Comment. Hierem. 23. & serm. 10. de Proud. inter principium, & medium, Fulgent. de Fide ad Petrum cap. 3. & lib. 2. ad Monimum cap. 6. Gregor. lib. 2. Moral. cap. 8. & in id cap. 1. Iob *Egressusque est Satana à facie Domini*. Anastas. Synait. lib. 2. de rectis fidei cath. dogmat. Petrus Damian. Epist. 4. de omnipotentia Dei cap. 6. Euthym. super illud Matth. 5. *Neque per cælum: quia thronus Dei est*. Et Hugo Victor. in Summâ sent. tract. 1. cap. 4.

Simile ad rem testimonium est illud Sapient. 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc, quod continet omnia, &c.* Quo ad probandum, esse Deum vbiq̄ue, vtuntur Hilar. Nazianz. Ambr. Greg. Fulg. Anall. & Pet. Dam. vbi proximè. Necnon August. lib. 3. contra Maxim. cap. 21. & in id Psal. 138. *Quo ibo à Spirituo*, Et Theophilus Alexand. epistol. Pasch. 1. contra Origenitas prope medium in tom. 3. Biblioth. Patrum.

Eius.

6 Eiusdem sunt generis ea Scripturæ loca, ubi asseritur Deus esse in cælo, terra, mari, inferno, &c. Quale est illud Psal. 138. *Si ascendero in cælum tu illic es; si descendero in infernum, ades, &c.* Quo ad eandem veritatem comprobendam vtuntur Origen. in id Iob, cap. 1. *Venerunt Angeli Dei, &c.* Athanas. loco citato de humanâ naturâ susceptâ, & epist. 1. ad Serapionem de sancto Spiritu, Hilar. lib. 1. de Trinit. non longè à principio, Nysen. tract. de professione Christianorum versus finem, Ambros. loco citato, & lib. 2. in Lucam ad illud cap. 1. *Hic erit magnus.* & lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 7. Hieron. Epist. citatâ, & in id ad Ephes. 2. *Facti estis prope, &c.* & in commentarijs eius loci, Chrysost. ibidem, & homil. de Spiritu Sancto versus finem tom. 3. August. Epist. citatâ, & tract. 111. in Ioan. & in id Psal. 32. *Confitemini Domino in cytharâ,* & lib. de essentia diuinitatis initio, & super relatum locum Psal. 1, Cyrill. Alex. lib. 9. in Ioan. cap. 40. & in commentarijs eiusdem loci, Gaudentius Episcopus Brixien. tract. de promissione Paracliti, qui est ordine serm. 14. tom. 2. Biblioth. Parum, Fulgentius, Anastasius, Theophilus Alexandrinus, & Hugo Victorinus vbi supra.

7 Constat item eadem veritas ex illo Isaïæ 66. *Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum.* Nam si Deus extremis Mundi partibus præsens est, nequit non esse præsens & intermedijs. Quare ad eam comprobendam hoc loco vtuntur Euseb. Cæsar. vbi supra, Athanas. de vnitâ substantiâ Trinit. lib. 5. sine. Hilar. lib. 1. de Trinit. citato, Hieron. super ipsum locum, & in id Ezechiel. 40. *Et introduxit me in atrium, &c.* Gregor. lib. 2. Moral. cit. & homil. 17. in Ezechiel. à medio, Rupert. lib. 7. in Genes. cap. 23. Euthymius, & Petrus Damianus vbi supra, & Theodoret. serm. 10. citato.

8 Idem ipsum etiam sumitur ex locis Scripturæ, in quibus dicitur Deus non capi rebus. Vt lib. 3. Reg. cap. 8. & lib. 2. Paralipom. cap. 2. & 6. *Cælum & cæli cælorum te capere non possunt.* Vnde desumpsit Ecclesia, quod canit. de B. Virgine Mariâ. *Quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti.* Et rursus. *Quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera.* Atque ita pro eadem veritate vtuntur ijs locis Athanas. orat. contra Gregales Sabelij post medium, Hieron. in cap. 66. Isaïæ initio, & Perr. Damian. vbi supra.

9 Quo etiam spectant illa loca, in quibus Deus dicitur maior rebus creatis, vt Iob. 11. *Excelsior cælo est, & quid facies? Profundior abyssu, & vnde cognosces? Longior terra mensura eius, & cap. 22. Non ne cogitas, quod Deus excelsior cælo sit, & super stellarum verticem sublimetur?* Ex quibus, Deum esse vbique, deducunt Hieronym. in Iob. 11. & August. de essentia diuinitatis initio. Quibus affine est illud Isaïæ 40. *Quis mensus est pugillo aquas, & cælum palmo ponderauit? Quis appendit tribus digitis molem terræ; & librauit in pondere montes, & colles in statera?* His namque verbis excessus immensitatis diuinæ supra res omnes creatas planè significatur. Quocirca eam ex illis colligunt Athanas. de vnitâ substantiâ Trinit. lib. 4. sine, Hilar. lib. 1. de Trinit. cit. Hieron. in cap. 66. Isaïæ initio, Chrysost. in id Psal. 112. *Quis sicut Dominus, &c.* Gregor. & Perr. Damian. locis citatis.

Denique idem dogma eis testimonijs stabilitur, quibus Deus dicitur omnibus rebus prope esse, aut non longè ab esse. Quale est illud Psal. 118. *Prope es in Domine.* Ex quo, Deum esse vbique, colligunt Hilar. & Ambros. ibidem. Et illud Hierem. 23. *Deus appropinquans ego sum, & non Deus de longè.* Quo ad rem vtuntur Hieron. ibidem, & in id ad Ephes. 2. *Facti estis prope, &c.* & Chryl. in Psal. 112. cit. Ac demum illud Actor 17. *Non longè est ab vnoquoque nostrum in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.* Et cætera huiusmodi.

Constat præterea dicta veritas ex alijs innumeris testimonijs sanctorum Patrum, qui eam tanquam certam secundum fidem sapientissime tradunt, indubitauer affirmantes, aut Deum esse vbique, aut nusquam deesse, aut omnibus adesse, aut esse in omnibus, aut esse immensum, aut quid æquiualens. Quorum Patrum, præter iam commemoratos, cum locis, vbi ista asserunt, longum habet catalogum nosser Gillius in suo erudito tomo de Deo lib. 2. tract. 9. cap. 1. vbi videri possunt: & apud nostrum Petauium plurimos pariter recententem tom. 1. Theologicorum dogmatum lib. 3. cap. 7. 8. & 9.

Eandem veritatem cognouerunt confessique sunt Philosophi ethnici Trimeg. in Piman. cap. 2. 4. 10. 11. & 12. Orphe. apud Euseb. Cæsar. lib. 13. de Præparat. Euang. cap. 7. apud Iustin. orat. parænet. cont. Gent. apud Clem. Alex. lib. 5. Strom. & apud Cyrill. Alex. lib. 1. cont. Iulian. Thales Milesius apud Arist. lib. 1. de Anim. cap. vlt. text. 86. Heraclit. apud eundem lib. 1. de part. animal. cap. 5. Zeno apud Themist. lib. 1. de Anim. cap. 33. nec non Aratus Euphronion, Aeschylus, Menander, & Pindarus apud Clement. Alex. loco citato. Quibus accinit Virgil. Eglog. 3. & 4. Georgic. & 6. Encid. Item Stoici apud eundem Clementem, & apud Tatianum vbi supra; etsi contradicat Tertull. in Apolog. cap. 47. Pythagoras apud Iustin. & Gyrill. Alex. locis cit. Platonique, & Peripatetici secundum Ciceronem lib. 1. Academic. etsi contradicat Iustin. ibid. Denique Iamblicus de myst. Egyp. cap. 6. et omnium explicatijs Plotius Enn. 3. lib. 9. cap. 3. & Enn. 5. lib. 9. cap. 9. & Enn. 6. lib. 5. cap. 1. vbi ait. *Hanc esse communem animi conceptionem; & omnes naturali instinctu ita sentire.* Et Athanas. orat. contra Idola post medium, *Ratio, inquit, fama que de Deo obtinuit, eum vbique existere posse.*

Verum contra veritatem catholicam statutam obijci possunt primò aliqua Scripturæ loca, in quibus peculiaris aliquis locus tribuitur Deo; quasi non sit in cæteris, Genes. 28. *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.* Et Psal. 13. 32. 52. 79. 101. dicitur Deus de cælo in terram aspiciere; quasi non sit in terra, sed solum in cælo, Et Psal. 75. *Habitatio eius in sion,* & Psal. 113. *Cælum cæli Domino; terram autem debet filijs hominum.* Et Isaïæ 66. *Cælum mihi sedes est.* Et Math. 6. *Pater noster, qui es in cælis.* Sæpeque dicitur Deus in sacris litteris habitare in sanctis; & longè esse ab impijs. Aliaque id genus, Respondeo, huiusmodi loquutiones non respicere communem modum, quem Deus habet essendi vbique, & in rebus omnibus ratione suæ immensitatis; sed peculiarem, quo est in aliquibus propter peculiare effectus, peculiarem ve manifestationem aliquorum attributorum suorum. Vt expressè exponunt, & notant Nysen. tract. de professione, Chri-

Christianorum versus finem; Chrystost. in id Psal. 9. *Psallite Domino, qui habitat in Sion.* Cyrilli. Alex. in illud Isaia 63. *Convertere de caelo, &c.* Procop. in cap. 64. Isaia, Alcuin. lib. 2. de Trinit. cap. 5. Damasc. lib. 1. fidei cap. 16. Euthym. in illud Math. 6. *Qui es in caelis,* Rupert lib. 7. in Genes. cap. 23. Bernard. serm. 1. in Psal. *Qui habitat, sine, & serm. 6. in dedicatione ecclesiae.* Alijque Patres. Paterque ex eo, quod Deus per Incarnationem capit peculiariter esse in Christi domini humanitate; & consequenter in terra; quin deserit propterea esse in caelo, iuxta illud Ioan. 3. *Nemo ascendit in caelum, nisi, qui descendit de caelo, filius hominis, qui est in caelo.*

14 Neque timendum nobis est cum quibusdam ex sequacibus oppositi erroris, quod Deus sordidis rebus praesens ab eis coinquinetur, & sordescat. Quoniam ea solum sordescunt a rerum sordidarum contactu, quae vel cum illis permiscantur, uti permisceri inter se solent substantiae fluidae, vel ab illis patiuntur, ut aliae substantiae corruptibiles. Quod utrumque longissime abest a substantia Dei. *Si enim lux ista visibilis,* inquit August. lib. de triplici habitaculo cap. 6. *omnia loca illustrat, & serquillina etiam penetrat sine sui fatore, & sine sui pollutione; quanto magis Deus, qui est invisibilis, & incommutabilis lux?* Itaque substantia purissima Dei omnia sive munda, sive immunda permeans omnino retinet incolumen nativum, nitorem, & pulcherrimam puritatem, ut late ostendunt Athanas. serm. 4. contra Arianos, Macharius senior homili 16. tom. 2. Biblioth. Patrum, Theodoret. serm. 10. de Pronidentia inter principium, & medium, Ambros. in Psal. 118. Magister sent. in 1. dist. 37. lit. H. post August. lib. de agone christiano cap. 18. & de natura boni cap. 29. & Hug. Viç. lib. 1. de Sacram. par. 3. cap. 17. & in Summ. sent. tract. 1. cap. 4.

Propositio 2.

15 Ratione etiam naturali ostenditur, Deum esse immensum; atque adeo per suam substantiam ubique praesentem.

Primò. Quia ex eo, quod Deus est ens à se, manifestè consequitur, debere illum esse infinitum quoad omnem sui bonitatem, seu perfectionem entitativam, ut uniuersaliter ostendemus inferius disput. 13. Hoc enim ipso, quod Deus est ens à se, ex nullo capite limitata esse potest vlla perfectio entitativa conueniens ipsi. Ob idque Deus conceptione communi omnium tale est ens suapte essentia, quo melius aliud, seu perfectius, maius ve quoad bonitatem, seu perfectionem, nec esse, nec cogitari potest. Sed praesentia localis perfectio est entitativa conueniens Deo. Igitur Deus infinitus est quoad praesentiam localem. Quod ipsum est, esse eum immensum, seu praesentem ubique. Quod autem praesentia localis sit perfectio entitativa conueniens Deo, inde constat: quia perfectio quaedam est ex conceptu suo ab omni imperfectione immunis, ut satis ex se apparet; & omnis perfectio ab omni imperfectione immunis necessariò conuenit Deo, ut uniuersim ostendetur inferius disput. 16. Et quidem melius, & aestimabilius esse, Deum ubique esse praesentem, quam, Deum certo aliquo, & finito loco coarctari, aut nullibi existere, ex ipsis terminis est euidens; & consequenter immensitatem, ubiquitatemque Dei ex genere earum perfectio-

num esse, quas dicunt simpliciter simplices; & quae Deo deesse nequeunt, prout ostendetur etiam inferius disput. citata.

Secundò. Quia Deus titulo entis existentis necessariò est praesens alicubi iuxta doctrinam statutam supra disput. 5. quaest. 8. Sed non est, eur potius in hoc, aut illo spatio locali, quam in alijs, sit praesens. Ergo in omnibus spatijs localibus, atque adeo ubique praesens est. Caetera constant. Minor probatur. Quia, cum omnia spatia localia sint eiusdem rationis, neque quidpiam peculiare habeat vnum praesens alijs comparatione essentiae Dei, ut satis ex se est notum; non potest Deus per suam essentiam esse determinatus ad existendum in vno potius, quam in alijs, ut constat. Multòque minus per accidens sibi contingens potest ad id determinari: quia contingenter perfectibilis esset; (siquidem, ut nuper est dictum, perfectio quaedam est praesentia localis). Quod tamen est absurdum, ut etiam constat.

17 Tertio. Quia nullum est spatium locale, in quo non possit Deus esse praesens. Ergo nullum est spatium locale, in quo Deus de facto, & necessariò praesens non sit. Quod ipsum est, esse illum immensum, & ubique praesentem. Antecedens ex ipsis terminis est satis euidens; & declarari potest amplius, ac confirmari. Quia, cum omne spatium locale capacitas quaedam sit praesentiae alicuius entis potentis in eo praesens existere iuxta doctrinam statutam disput. 5. quaest. 2. si in aliquo spatio locali non posset Deus praesens esse, alicubi posset existere creatura, ubi Creator non posset existere. Quod planè est absurdum. Et quidem, cum nullum sit spatium locale, in quo non posset esse praesens quouis creatura earum, quae indifferentes sunt ad essendum ubilibet: consequenter est euidens, nullum esse spatium locale, in quo Deus praesens esse non possit. Iam consequentia inde aperte probatur. Quia si Deus potens ubique existere alicubi non existeret de facto, per praesentiam sibi ad venturiam, & accessoriam posset ibi praesens reddi: atque adeo mutabilis esset, per nouamque, & sibi accidentariam perfectionem (qualis de suo est iuxta iam dicta praesentia in quouis spatio locali) esset perfectibilis. Quod tamen manifestè illi repugnat, ut ex se patet; & ex dicendis disput. 7. & 16. patebit amplius.

Quarto. Quia Deus per suam essentiam est 18 durans in omni spatio temporali; atque adeo utrimque aeternus, ut demonstrabimus infra disput. 9. Ergo & per suam essentiam est praesens in omni spatio locali; atque adeo vndeque immensus. Nulla quippe in Deo, quod ad rem attinet, congrua disparitas reddi potest.

19 Quintò. Quia existere quoduis ens simul in multis locis, seu spatijs localibus replicatum, seu repetitum, manifestam perfectionem ab omni imperfectione immunem praefert; eoque maiorem, quo loca, sive spatia sunt plura. Ob idque iuxta communem Theologorum consensum, quia Spiritus Angelici naturaliter in multis spatijs localibus vnum adaequatum componentibus replicari, sive repetiti esse possunt; quò perfectiores illi sunt, eò maius spatium adaequatum, eoque subinde plura spatia componentia illud, in quibus replicati, sive repetiti esse possint, naturaliter sibi vendicant; eo quò perfectio praesentiae localis perfectioni subiecti per illam praesentis naturaliter debet esse proportionata.

Igitur, cum perfectio substantiæ Dei sit infinita, imo & includens in se aut formaliter, aut eminenter omnem perfectionem possibilem, nequit non esse infinita, extensaque ad omne spatium possibile perfectio præsentia localis ipsi naturaliter, atque adeo & essentialiter debita. Quod est, non posse Deum non esse immensum; subindeque præsentem ubique.

20 Sexto. Quia, Deum alicubi existere, nemini dubium esse potest; ex doctrinæque vniuersali tradita à nobis disput. 5, quæst. 8, compertum est. Et quidem, suppositâ fide de mysterio incarnationis, euidenter est, existere Deum, ubiqueque existit humanitas Christi domini, cui Verbum diuinum physicè unitum est. Nam euidenter est, talem unionem inter extrema loco distita stare non posse, iuxta doctrinam etiam traditam disput. 5, quæst. 13. Igitur Deus immensus est, & existens ubique. Probo consequentiam. Quia, cum Deus non per præsentiam superadditam, (nam perficeretur ab extrinseco), sed per se ipsum existat ubiqueque existit; neque aliter ipse essentia cum vno spatio, quam cum reliquis, sit comparabilis, vt ex se constat; hoc ipso, quod existit in vno, & in reliquis quoque; atque adeo ubique existere, necessariò dicendum est.

21 Septimo. Quia ad perfectionem propriam vnitatis diuinæ inferiùs disput. 12, stabilienz pertinet immensitas Dei. At vnitati diuinæ nihil perfectionis ipsi propriæ deesse potest. Ergo Deus necessariò est immensus. Consequentia est bona; & minor certissima; quia nulli attributo diuino potest quidpiam perfectionis intra suum genus deesse, vt satis ex se est notum; & ex dicendis disput. 16, notescet ampliùs. Probo ergo maiorem. Quia vnitatis Dei in essentiali ipsius oppositione, incompatibilitateque quoad existentiam cum altero Deo fundatur. Hæc autem oppositio validior ad excludendum alterum Deum ab omni loco, atque adeo perfectior erit ex suo conceptu, si Deus in omni loco sit præsens, quam si in vno dumtaxat loco determinat præsens esset, vt ex se manifestum est. Ad perfectionem igitur diuinæ vnitatis spectat, quod Deus ubique præsens sit.

22 Octauo. Quia strictior est, intimiorque connexio, quam habet creatura quæuis cum Deo, tanquam cum suâ causâ primâ, quam connexio, quam habet quiuis modus cum suo subiecto. Sed est impossibile, quod modus sit loco distitus à suo subiecto, vt supra disput. 5, quæst. 13, ostensum est. Ergo etiam est impossibile, quod aliqua creatura loco distita sit à Deo. Ast nullum est spatium locale, in quo non possit existere creatura aliqua: cum omne spatium locale sit possibilitas, atque adeo capacitas præsentia alicuius creaturæ iuxta dicta in eadem disput. 5, quæst. 2. Ergo nullum est spatium locale, in quo Deus non possit præsens esse; & consequenter in quo de facto præsens necessariò non sit: cum talis esse debeat per suam essentiam, & non per præsentiam sibi accessoriam, vt constat ex dictis.

23 Ex his omnibus benè intellectis euidenter apparet, Deum immensum, & ubique præsentem esse. Id quod per dicenda insuper proposit. 3, euidentius fiet. Vnde audiendi non sunt ex antiquioribus Bassolus in 1. distinct. 37, quæst. vnic. artic. 1. & 3. Rubionensis in 1. distinct. 37, quæst. 2, artic. 2, & Andreas de Nouo Castro quæst. vnic. ex recentioribus autem Smising. tract. 2, de Deo vno disput. 5, quæst. 1, quatenus contra com-

munem Theologorum consensum afferunt, naturaliter demonstrari non posse, Deum immensum, & ubique præsentem esse.

Propositio 3.

Ex munere, quem Deus habet causa primæ immediatè concurrentis ad productionem, ad conseruationemque cuiusuis creaturæ, benè probatur immensitas Dei, atque præsentia in omni spatio locali.

Huic propositioni refragantur Scot, in 1. distinct. 37, quæst. vnic. & cum eo Mayronus, Ochamus, Rubionensis, Bassolus, Gabriel, Lychetus, Bargius, Petrus de Aquila, Viguerius, Andreas de Nouo Castro, & Rada apud Gillium lib. 2, de Deo tract. 9, cap. 3, & apud Fasolum 1. par. quæst. 8, artic. 1, dub. 2, alijque Scotistæ communiter. Necnon Valent. 1. par. disput. 1, quæst. 8, punct. 1, Zumel, 1. par. quæst. 8, artic. 1, quæst. suâ, 1. conclus. 4, Vazq. disput. 18, cap. 3, & 5, Trigof. quæst. 6, artic. 2, disput. 2, Albertin. in Predicam, Vbi, Coroll. 7, à num. 6, Auerfa in Philofop. quæst. 14, Smising. tract. 2, de Deo disput. 5, quæst. 1, Lallemander in Cursu Theolog. tom. 1, disput. 5, à num. 12, Raynard. in sua Theolog. natur. distinct. 7, quæst. 4, artic. 6, Ribas tom. 1, Sum. Theol. tract. 2, disput. 4, cap. 2, Pasqualig. 1. par. disput. 17, sect. 2, & alij. Pro ipsâ tamen propositione nostrâ stant. S. Tho. 1. par. quæst. 8, artic. 1, & lib. 3, contra Gent. cap. 68, & in 1. distinct. 17, quæst. 1, artic. 1, & cum eo omnes Thomistæ. Necnon, Altifiodorensis, Alensis, Henricus, Albertus, Ægydius, Ricardus, Aureolus, Argentina, Hispanensis, D. Bonauentura, & alij plures, quos referunt & sequuntur Gillius, & Fasulus vbi supra. Item Molin. 1. par. quæst. 8, artic. 1, disput. 2, addens sententiam contrariam parum esse tutam in fide; Soar. disput. 30, Metaph. sect. 1, à num. 11, & lib. 2, de Attribut. cap. 2, & tom. 1, in 3. par. disput. 31, sect. 7, Arrub. 1. par. quæst. 8, artic. 1, disput. 11, cap. 2, Gran. tract. 3, disput. 2, sect. 5, Recupit. lib. 4, quæst. 10, à num. 9, Thomas del Bene in Sum. theol. disput. 2, quæst. 7, Zamoro tract. 3, de Deo quæst. 5, artic. 3, vbi contendit S. Tho. & Scot. quod attinet ad propositum, non dissidere inter se reipsâ, Martinon disput. 5, de Deo sect. 3, & alij plures.

25 Probatum autem propositio primò ex Scriptura. Dicitur enim Psal. 138. *Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tuâ fugiam; si ascendero in caelum, tu illic es; si descendero in infernum, ades; si sumptero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, Etenim illic manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Quibus verbis præsentia Dei in omni loco ex operatione eius ibidem præstitâ arguitur. Vti & Paulus Actor. 17, ex operatione Dei præstitâ in nobis præsentiam ipsius in nobis arguit dicens. *Quamuis non longè sit ab vnoquoque nostrum; in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.* Id est, per ipsum, iuxta satis notam, & notam Scriptura phrasim. Benè igitur ex operatione, quam Deus aut exercet, aut exercere potest ubique, immensitas eius, atque præsentia ubique inferitur iuxta Scripturam.

Id quod etiam constat ex Patribus pariter 26 arguen-

arguentibus. Etenim Anastasius Synaita lib. 2. de rectis fidei catholicæ dogmatibus prope medium in tom. 1. Biblioth. Patrum ex diuinâ operatione ad omnia se extendente latè præsentiam Dei in omnibus arguit; concluditque, *Rei, quæ effici caput, transierit, dum peragitur, necessariò adest natura agentis: quiduis enim operis nemo, absens sibi, operatur. Deus igitur, cum nullo non tempore quiduis eorum, quæ fiunt, efficiat, cunctaque moderetur, ac dispenset suâ iugi conseruatione, prorsus necesse est fateri, Deum omnibus inesse; neque ab ullo unquam disparari entium.* Pariterque ratiocinantur August. lib. de essentiâ diuinitatis, Anselm. in Monol. cap. 15. 20. 21. & 22. & in Elucidario initio, Athanas. in disput. habitâ in Concilio Nizeno contra Arium longè à principio, Nyfen. orat. 1. de Christi resurrectione post medium. Fulgent. de fide ad Petrum cap. 12. Hilar. lib. 8. de Trinit. in medio. Hugo Victor. lib. 7. eruditi. didascal. cap. 19. & Ricard. Victorin. lib. 2. de Trinit. cap. 23. Ac demum Photius in quæst. ad Amphil. cap. 75. ait, *Euidens consequitio est in quibus est (Deus) secundum operationem, siue actionem, in ijs ipsis esse secundum substantiam.*

27 Nec satisfaciunt Aduersarij, cum dicunt, illationem scripturæ, & Patrum ab operatione, Dei ad eius præsentiam aut solum esse à paritate; quasi, qui infinitus est in operando omnia, pariter in existendo in omnibus debeat esse infinitus; aut solum esse ab operatione ad præsentiam intentionalem, qua vel Deus cuncta sibi habet præsentia mediâ suâ cognitione, vel ipse in cognitione hominum à tali operatione obiectiuè oriunda sit præsens: nequaquam verò ex operatione Dei exercita ubique præsentiam physicam eius ubique immediate inferri; quasi Deus operari non possit, nisi ubi physicè præsens est. Non, inquam, satisfaciunt. Quia verba scripturæ relata in sensu, quem nos prætendimus, quemque ipsa satis aperte videntur præferre, usurpantur à Patribus; in eodemque subinde censendi sunt loqui Patres etiam citati. Ambros. enim in libello de dignitate conditionis humanæ cap. 2. initio ait, *Deus vnus semper ubique totus est, omnia viuificans, mouens, & gubernans; sicut Apostolus confirmat, quòd, in eo viuimus, mouemur, & sumus.* Et Hieron. in cap. 66. Isaie initio immensitatis Dei hanc ipsam Pauli reddit rationem. *In ipso enim omnes sumus, & mouemur.* Theodoret. autem in locum Psal. 138. citatum, *Quo ibo à spiritu tuo? ait. Vbiq. adest, & in ipso viuimus secundum diuinum Apostolum, & mouemur, & sumus.* & in illud 1. ad Corinth. 15. *Vt sit Deus omnia in omnibus. Nunc, inquit, vbiq. est per essentiâ; habet enim naturam, qua non potest circumscribi; & in ipso viuimus, & mouemur, & sumus, ut ait diuinus Apostolus, & serm. 10. de proud. multò ante medium, Si itaque in illo viuimus, & mouemur, & sumus iuxta Apostoli vocem, nulla vtiq. Mundi pars Deo destituta est.* Hilar. in illud Psal. 118. *Prope es tu Domine, ait, Adest vbiq. & totus vtiq. est.* Beatus Apostolus Atheniensibus philosophiè inuitate ridiculis pro contione respondens ait, *non longè à nobis manentem quaerimus Deum, in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.* Occumen. in illud Actor. 17. relatum. *Quauis non longe, &c. post traditam vbiq. ubi ubi ubi ubi ubi ubi ubi, atque hoc est, quod inquit quauis non procul ab vnoquoque nostrum sit. Omnibus siquidem,*

qui in omni Orbis terrarum parte habitant, prope est; atque ita prope, ut nemo sit, qui viuere sine ipso possit: in ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus. Eadem habet Theophylact. in eundem locum. *Quæ fere ad verbum habet etiam Chrysof. homil. 38. in Acta Apostol. circa medium.* Et Lyranus in eundem locum Pauli Act. 17. *Quauis non longè, &c. notat, ibi probari, Deum, intimiorem nobis esse, quàm nobis ipsi simus.* Ex quibus omnibus apparet, Scripturam sacram, & Patres locis citatis pro nostrâ propositione stare.

Iuxta quam ita est necessaria præsentia, aut 28 saltem immediata propinquitas Dei ad spatium, in quo operatur, aut operari potest, ut si inde distans esset, aut remotus localiter, nullatenus posset ibi operari. Quo iure benè, & immediate inferitur ex eò, quòd operatur, aut operari potest vbiq. ubique necessariò præsentem esse. In quo conueniunt Doctores nostræ sententiæ contra Aduersarios asserentes oppositum. Nimirum neque præsentiam, neque immediatam propinquitatem Dei ad quodlibet spatium requiri, ut in ipso operari valeat. Atque adeò quantumuis Deus in vno dumtaxat spatio determinato, finitoque per impossibile existens à cæteris distans esset, atque remotus, fore, ut ex illo in omnibus alijs aq. ac si in illis esset præsens, operari valeret per suam substantiam immediatè.

Cæterum quauis in assertione istâ conueniant omnes Doctores relati pro sententiâ nostrâ; in reddenda tamen eius ratione non conueniunt. Aliqui Thomistarum cum Capreolo existimant, ideò ex operatione Dei in aliquo loco colligi benè præsentiam eius ibidem: quia præsentia cuiusuis entis spiritualis, qualis est Deus, constituitur formaliter per ipsam eius operationem. Sed malè. Primò: quia nullum ens, adhuc spirituale, redditur formaliter præsens alicui spatio per operationem in ipso exercitam, ut ostendimus disput. 5. quæst. 7. agentes de præsentia Angelorum. Id quod inde etiam constat: quia, ut approximatio agentis naturalis ad passum, ita approximatio cuiusuis agentis ad spatium, in quo est operaturum, conditio est præuia ad operationem. Ergo præsentia agentis talem approximationem constituens realiter debet esse distincta ab ipsa operatione. Constat item: quia operatio transiens, de qua est sermo, non est perfectio rei operantis, vti est præsentia rei præsentis ex conceptu suo. Secundò: quia Deus etiam in spatio penitus vacuis, vbi nihil operatur, est præsens, ut ostendimus quæst. 5. Non igitur in operatione potest præsentia eius consistere.

Secundò alij Thomistæ cum Caietano dicunt, etiam si causæ operantes per virtutem à se 30 diffusam (vti operatur Sol per lumen à se diffusum in hac inferiore regione) possint in spatio à se distante operari: causas verò operantes per suam substantiam, vti operatur Deus, nequaquam. Atque ita benè ex operatione Dei in quouis loco inferri eius præsentiam ibidem. Sed contra est. Quia vel supponitur ab his Auctoribus, Solem simul cum lumine à se diffuso concurrere per se immediatè ad effectus à se distantes, scilicet per actionem à se simul, & à lumine intermedio egredientem, ut communis philosophia multorum fert. Et sic, potiore iure venit dicendum, cum Deus operatur simul cum causis

causis secundis, bene, quantum est ex se, posse effectus à se loco distros operari, saltem quando ipsa causa secundæ per totum spatium medium diffusa, siue extensa sunt. Atque adeo ex operatione Dei in aliquo spatio, ipsius præsentiam, in illo nequaquam inferri. Vel supponitur ab istis Auctoribus ex philosophia aliorum mundi communi, effectus productos à Sole in hac inferiore regione per actionem fieri oriundam non à substantiâ ipsius Solis, & à toto intermedio lumine, sed à parte dumtaxat luminis ipsos effectus immediatè tangente: catenusque solum dici, eos à Sole produci, quatenus Sol lumen sibi immediatum causat, & hoc aliud sibi immediatum, & ita deinceps, donec acceditur ad producendos dictos effectus in materiâ idoneâ pro illis repertâ solum in istâ regione inferiore. Et in hac hypothese malè distinguunt inter causas operantes per virtutes à se diffusas, & operantes per suam substantiam. Siquidem à nullâ potest produci effectus per propriam, à seque oriundam, actionem ultra spatium sibi immediatum.

31 Tertiò Soar. loco citato ex 3. par. au. immediationem localem agentis, & effectus solum requiri in causâ principali, non item in instrumentali. Atque ita, etsi Deus possit vti creaturâ vt instrumento ad producendum effectum, in spatio ab ipsâ distante, ipsum verò Deum, qui causa principalis est necessario, in loco à se distante operari non posse. Sicque bene ex operatione eius ubique præsentiam eius ubique inferri. Non placet. Tum quia nulla idonea ratio apparet, cur causa instrumentalis præ principali, atque adeo creatura præ Deo in spatio à se distante operari valeat. Cum potius præstantior virtus, qualis est causâ principalis, & Dei, videatur requiri ad operandum in spatio distanti, quam in propinquo. Tum quia, vt dicemus, nulla causa, quantumuis instrumentalis, potest operari in distanti.

32 Quartò idem Soar. loco citato de Attributis dicit, immediationem localem agentis ad effectus in perfectissimo agente, qualis est Deus, requiri essentialiter; licet ita in reliquis non requiratur: quia perfectissimum agens non solum titulo actionis, sed etiam titulo intima præsentia debet habere dominium suorum effectuum, sed neque placet. Tum quia præsentia per se præcisè nihil ad dominium confert videtur. Tum quia perfectius fortasse videbitur alicui dominium rei, quando æquè bene potest illâ dominus vti mediâ aliquâ actione, siue sit absens, siue præsens. Tum quia iam non ex operatione præcisè veniet inferenda præsentia Dei, sed ex dominio includente præsentiam ipsam. Quod à præsentia controuersâ videtur alienum. Tum denique quia immediatio localis agentis ad effectum omni agenti etiam creato prout operanti illum est essentialis, vt mox dicemus.

33 Quintò Granad. vbi supra idcirco ex operatione præsentiam Dei censet inferri: quia ex creatione, quæ propria est operatio Dei inferitur infinitas potentia, & ex hac infinitas essentia, & ex hac infinitas præsentia. Addit, ex creatione alio etiam titulo inferri præsentiam creatantis: quia scilicet hæc est requisita ad extrahendum effectum ex nihilo, vt per creationem fit. Sed certè primum non videtur ad rem: quia præsens distiduum solum est de peculiari, & immediatâ illatione præsentia Dei ex eius operatione, non

de eâ mediata, quæ pluribus alijs attributis potest esse communis. Præterquam quòd incertum est, an bene inferatur ex creatione potentia infinitas arguens infinitatem essentia arguentem rursus infinitatem præsentia, & aliorum attributorum, in secundo autem potius supponitur, quam probatur, vt deberet, necessitas præsentia creatantis ad extrahendum ex nihilo effectum creatum. Supponit præterea Granad. ex alijs Dei operationibus non creatiuis, sed educitiuis eius præsentiam non inferri. Quod contra S. Tho. & alios Auctores suæ sententiæ, imò contra Patres, & loca Scripturæ commemorata planè videtur esse.

34 Sextò denique Recupitus vbi supra post reiectos omnes dicendi modos relatos asserit, idcirco ex operatione Dei in quouis loco inferri præsentiam eius ibidem: quia connaturaliter debet esse præsens quoduis agens, vbi operatur, & eo modus operandi est perfectior, quo connaturalior est effectui producti; Deusque non potest non operari perfectissimo modo. Sed contra. Primo: quia falsum est iuxta mox dicenda, quòd supponit Recupitus, nempe agens creatum supernaturaliter saltem posse agere in spatio distante; & si non possit naturaliter. Secundo: quia falsum est, quod etiam supponit, eò scilicet perfectiorem esse modum operandi, quo connaturalior est effectui, adhuc cum cætera sunt paria: quia ex eò, quòd operatio quouis præter naturâ debitum, atque adeo supernaturaliter fiat, neutiquam imperfectior euadit; cum nihil amittat propterea de sua intrinsecâ perfectione, neque extrinsece inficiatur ex eò, quòd detur indebita, vt satis ex se est notum. Tertiò: quia falsum est item, quod supponit Recupitus Deum scilicet titulo agentis perfectissimi debere semper operari ad extra perfectissimo modo. Certum enim est perfectiorem esse operandi modum per creationem, quam per educationem; & tamen Deus saepe de facto per educationem operatur. Certum est etiam, perfectiorem actionem esse, atque adeo & agendi modum, cum Deus per se solum agit, quam, cum agit simul cum causâ creatâ adiuvando illam; & tamen Deus saepe sapius operatur hoc pacto. Dato ergo, quòd modus operandi agentis in suo spatio locali, aut in immediato perfectior sit, quam modus operandi eiusdem in spatio distanti, ex operatione Dei in quouis spatio præsentia ipsius ibidem non bene colligitur: quia non tenetur Deus operari ad extra perfectiori modo, quo potest. Vt neque tenetur producere creaturas perfectiores.

35 Igitur vera, & legitima ratio nostræ propositionis est: quia, vt supra disput. 5. quæst. 13. ostensum est, nullus modus potest existeri loco distans à subiecto, cuius modus est; sed essentialiter exposcit esse præsens aut in eodem spatio locali, in quo est ipsum subiectum, quando est modus suapte essentia penetratiuus, aut in spatio contiguo, siue immediato ipsi subiecto, quando penetratiuus non est. Cumque omnis actio tam comparatione principij, à quo nascitur, quam comparatione termini, siue effectus per eam producti, modus quidam sit, vt est certum; impossibile metaphysicè est, vt aliqua actio existat loco seiuncta aut à principio, à quo nascitur, aut ab effectu per eam producto. Unde fit, vt sit impossibile metaphysicè, quòd aliquod agens siue creatum, siue increatum, siue



partiale, siue totale in spatio à se distante operetur; sed vel in eodem suo spatio, vel in spatio sibi immediato omne agens necessarium, ac indispensabiliter profus operari debet; prout speciatim quæst. citata proposuit, & probauimus. Vbi etiam argumenta, quæ contra hanc doctrinam opponi possunt, aut etiam solent, fusè diluimus. Quia semel statutà, iam palam est, quomodo ex operatione, quam Deus exercet, aut exercere potest vbique, per consequentiam metaphysicè necessariam sequatur, Deum ipsum vbique esse præsentem, vt nostra propositio fert. Quamquam enim ex prædicato generico actionis (præscindendo ab eo, quod actio ex prædicato differentiali sit, aut non sit penetratiua comparatione agentis) dumtaxat inferatur præsentia agentis in spatio contiguo, siue immediato ipsi actioni; quia tamen nullum est spatium, ex quo Deus in immediato saltem non possit agere; idcirco ex eo præcisè, quod Deus agit, aut potest agere in omni spatio, necessarium inferendum venit, Deum in omni spatio præsentem esse. Præter quàm quod, quia actio Dei ex prædicato differentiali haud dubiè penetratiua est, etiam ex eo, quod Deus agit, aut potest agere in quouis spatio inferitur, ipsum in eodem præsentem esse.

36 Hinc sequitur contra Aduersarios, ad infinitatem Dei, aut eius omnipotentia non pertinere, posse agere in spatio distante, ita, vt, etsi per impossibile non esset vbique, vbique nihilominus posset per se absolute agere. Quippe ad infinitatem Dei, aut eius omnipotentia pertinere nequit, posse absolute chymaram impossibilem, exequi, vt constat. Actio autem Dei in spatio distante chymara esset impossibilis in data hypothese iuxta doctrinam statutam. Ceterum, sicut pertinet ad infinitatem omnipotentia Dei, possit causare quaslibet alias chymaras impossibiles non absolute, sed ex hypothese, quod illæ possibiles essent, iuxta doctrinam tactam supra disput. 4. quæst. 2. inferiusque suo loco latius tradendam; ita quoque pertinet ad infinitatem omnipotentia Dei, causare actionem, siue agere in spatio distante ex hypothese, quod talis actio, adhuc pro casu, quod Deus non esset vbique, chymarica, pro casu ipso esset possibilis.

QVÆSTIO II.

Verum Deus per suam substantiam omnibus rebus sit intimè præsens; in illisque existens. Et qualiter.

37 **Q**ui per errorem negarunt, Deum vbique esse præsentem per suam substantiam, prout vidimus quæst. 1. consequenter etiam negarunt, Deum omnibus rebus intimè per suam substantiam præsentem esse. Oppositam tamen veritatem tenent omnes Catholici præter vnum, aut alterum in illum errorem prolapsum, prout ibi notauimus.

Propositio I.

Certum omnino secundum fidem, 38 atque etiam euidens secundum naturalem rationem est, Deum omnibus rebus per suam substantiam localiter, & profus intimè præsentem esse; in illisque subinde existentem.

Id enim apertè præferunt pleraque loca Scripturæ quæst. 1. pro primâ propositione commemorata. Et tenent Patres ibi citati. Quorum aliqui pro eodem vsurpant, esse Deum vbique, & esse in omnibus rebus. Alij, existere Deum in omnibus rebus, aut omnibus intimè esse præsentem, expressè dicunt. Alij, (quod recidit in idem) Deum res omnes penetrare, peruadere, vel permeare.

Ratione quoque id ipsum ex distis quæst. 1. 39 facile demonstratur, Quia eo ipso, quod Deus est præsens alicubi, siue in aliquo loco, siue in aliquo spatio locali, non potest non esse penetratus localiter cum aliâ quâuis re existente in eodem loco, siue in eodem spatio locali; & consequenter non potest non esse intimè præsens localiter ipsi rei, vt est manifestum. Siquidem idem est omnino, esse duas res intimè penetratas, atque adeò sibi inuicem præsentem localiter, atque, esse ambas in eodem loco, siue in eodem spatio locali, vt constat. Sed ex vnâ parte Deus est præsens in omni loco, in omni ve spatio locali, vt quæst. 1. statutum est; ex aliâ verò parte nulla res est, quæ non sit præsens in aliquo loco, in aliquo ve spatio locali. Ergo nulla est res, cum qua Deus non sit penetratus, cuique subinde non sit intimè præsens localiter in eodem loco, in eodem ve spatio locali, in quo ipsa est præsens.

Quoniam verò ex vi huiusmodi præsentia 40 physica, qua Deus omnibus rebus intimè præsens est localiter, communiter à theologis, atque etiam à Patribus dicitur Deus esse, siue existere in illis; cum tamen ipsæ res, etiam si mutuo præsentem localiter, & intimè Deo, non dicantur in ipso esse, siue existere, saltem adeò communiter; examinandum modò sequitur, cur id ita eueniat.

Gillius lib. 2. de Deo tract. 9. cap. 13. post 41 longum discursum tandem concludere videtur num. 13. tamen si subobscurè, idcirco Deum dici esse in rebus ratione suæ immensitatis, quia intimè præsens illis est, non vnicunque, sed vt figurans, formansque illas suâ immediatâ applicatione; quemadmodum sigillum per sui immediatam applicationem format effigiem sui in materia molli, in ipsaque subinde effigie formatâ dicitur esse. Quo pacto quia non sunt res ipsæ præsentem Deo, in Deo esse non dicuntur. Recapitulus vero lib. 4. de Deo quæst. 12. num. 3. ait, propterea Deum dici esse in rebus; quia præsentia, qua præsens illis est, intimitatem summam habet, qualem non habet vnâ creatura intimè præsens alteri, aut ipsi Deo; ideoque ab intima præsentia neque vnâ creatura dicitur esse in alterâ, neque vlla in Deo. Intimitas autem creaturarum ideo, inquit, non est summa, quia est diffingibilis. Quirous denique tom. 1. de Deo in Comment. artic. 3. quæst. 8. ait, Deum dici esse in creatura; quia præcontinet illam vt causa; qualiter nequit creatura dici esse in Deo; quia vt causa non præcontinet illum. Nullus ex his modis dicendi præcet.

42 *sec.* Neque alium ad rem reperio apud alios *Au-*
gures. Non placet primus. Quia iungit intimam
 præsentiam operationem, qua Deus creaturæ, cui
 præsens est, per se immediate præbet talem essen-
 tiam, qualem habet; eoque titulo eam formare
 seu figurare dicitur sua immediatâ applicati-
 one. Quod extra rem esse videtur. Quia hic dumtaxat
 queritur ratio, cur Deus ratione præsentia præ-
 cise, qua præsens est rebus, dicatur esse in illis,
 ut à Theologis, & Patribus reuera dicitur. Non
 placet secundus. Tum quia Deus non magis in-
 time est præsens creaturæ, quam creatura Deo;
 cum non sit magis penetratus in eodem spatio
 locali Deus cum creaturâ, quam creatura cum
 Deo; & intimitas duorum, de qua tractamus,
 aliud non sit à mutua eorundem, & adæquatâ
 43 penetratione, seu coexistentia in eodem spatio
 locali nullatenus suscipiente magis, & minus.
 Tum quia intimitas duorum in spatio locali ex
 eo, quod sit disiungibilis, & etsi sit minus neces-
 saria, non tamen est minor propter rationem
 dictam. Tum quia esto minor ex eo esset; at in-
 timas creaturæ cum Deo non magis est disiungi-
 bilis, quam intimitas Dei cum creaturâ; cum
 utraque absolute possit deficere ex defectu creatu-
 ræ; & ex suppositione, quod existit creaturæ,
 æque sit utraque necessaria. Tum denique quia
 licet intimitas Dei cum creatura maior esset,
 quam intimitas creaturæ cum Deo, inde non
 posset nasci, ut Deus in creaturâ, non item crea-
 tura in Deo diceretur esse absolute. Ut summum
 enim posset dici eo titulo Deus magis intime in
 creaturâ esse, quam creatura in Deo. Denique
 neque tertius modus dicendi placet. Tum quia à
 præcontinentiâ effectus in causâ potius effectus in
 causâ, quam causa in effectu esse dicitur. Tum
 quia omnis causa creata, penetrata cum suo effe-
 ctu localiter, (ut est aqua cum suo frigore, ignis
 cum suo calore, intellectus cum sua intellectu-
 ne, &c.) eo ipso diceretur esse in illo. Quod
 est absurdum valde alienum ab usu. Pro-
 pterea.

Propositio 2.

43 Arbitror à supereminente excellen-
 tiâ, qua Deus excellit super omnes crea-
 turas, atque adeo supra ipsas est, congruen-
 ter satis provenire, ut dum eis physicè con-
 iungitur per præsentiam localem, in illis
 esse dicatur; quin possint dici pariter ipsæ
 creaturæ, utpote essentialiter Deo inferio-
 res, eo titulo esse in Deo; quantumvis ipsi
 pariter per præsentiam localem coniunctæ
 sint.

Superioritas enim Dei quoad essentiam supra
 essentiam creaturarum causa videtur satis congrua,
 ut quasi in illis insidere, subsequè illas habere præ-
 sentialiter atque adeo esse in illis dicatur iuxta il-
 lud *Ita 66. Cælum mihi sedes est, terra autem sca-*
belum pedum meorum, & illud *Genes. 3. Spiritus Do-*
mini ferebatur super aquas. Illudque etiam *Lucæ*
4. Spiritus Domini super me. Nec non & illud
Damasc. lib. 1. fidei cap. 16. Deus cuncta replens,
& super omnia eminens. Itaque eminentia Dei
 supra omnes creaturas appositè videtur fundare
 dictum modum loquendi, quo præsentialiter di-
 citur esse in illis.

Præter istum autem titulum tam corporali- 44
 bus, quam spiritualibus rebus communem, alio
 insuper titulo venit dicendus Deus esse in rebus
 corporalibus; quia videlicet, cum habeant à sua
 diuisibilitate tria circumferentiam, & fundam,
 intra se infundo habent integrum Deum; eoque
 iure Deus in ipsis dicitur esse: tamen etiam ear-
 rum circumferentia sit totus ipse præsens. Quo
 item titulo anima rationalis intra corpus, & in
 corpore, quod informât, dicitur esse. Et doe-
 mon intra corpus, in corporeque, quod obsidet.
 Et Christus dominus intra species, & in specie-
 bus sacramentalibus, in quarum fundo integer
 est ob modum existendi indiuisibiliter, quem ibi
 habet.

45 Ex quibus patet, quomodo, cum duæ res
 spirituales localiter inter se penetrantur, quæ su-
 perior altera fuerit qualibet superioritate, in eâ
 eo titulo existere dici possit; sed non vicissim.
 Quomodo item, cum intra creaturam corpo-
 ream quælibet alia integra existit penetrata cum
 eius fundo, intra ipsam, & in ipsâ esse dicenda
 sit. Quomodo demum Deus priori titulo in omni
 creaturâ spirituali dicatur esse; utroque autem
 in omni corporea: cum neutro eorum villa crea-
 tura dicatur esse in Deo.

Propositio 3.

46 Nihilominus alio sensu creaturæ om-
 nes dici possunt, aut etiam solent præsen-
 tialiter esse in Deo, quatenus ab eius im-
 mensitate localiter circumplectuntur, &
 continentur.

Ita tenet *Alens. 1. par. quæst. 9. num. 3.*
Consonatque illud D. Gregorij apud ipsum.
Quolibet mutantur Angeli, intra Deum currunt.
 Communisque modus loquendi Patrum dicen-
 tium, Deum extra res omnes esse, & illas con-
 tinere. Quod enim intra aliud est, & ab eo con-
 tinetur, in eo esse dicitur. Quocirca dixit *August.*
lib. 33. 99. quæst. 20. Deus non alicubi est. Quod
enim alicubi est, continetur loco. Et tamen quia est,
& in loco non est, in ipso sunt potius omnia, quam
ipse alicubi.

QVAESTIO III.

Verum Deus sit in omnibus rebus per
essentiam, præsentiam, & po-
tentiam. Aut aliter.

Et qua ratio-
ne.

47 PRO resolutione suppono, varijs modis (quo-
 rum aliquos recensuit *Aristot. lib. 4. Phys.*
cap. 3. text. 23.) dici unum esse in alio. Primò
 tanquam pars actualis in toto actuali seu physico,
 seu metaphysico. Quo titulo dicitur quis esse
 in tali exercitu, aut populo, aut congregatio-
 ne, aut religione, aut quavis alia multitudine.
 Secundò tanquam totum potentiale, seu logi-
 cum, quale est omne vniuersale, in partibus
 eius potestatiuis, quales sunt eius inferiora.
 Tertio vice versâ tanquam inferiora vniuersalis
 Y 2 in

in ipso vniuersali, vt species in suo genere, & indiuidua in sua specie. Quarto tanquam forma in materia, aut accidens in suo subiecto. Quinto tanquam effectus in causa, in qua eminenter, seu virtualiter continetur. Sexto tanquam causa in effectum, dum in eo quidpiam operatur. Ibi enim, in eaque re, vbi, & circa quam operatur, censetur causa esse. Septimo tanquam res locata in loco, eoque aut imaginario, aut reali iuxta dicta de huiusmodi locis disput. 5. quæst. 3. Quo titulo dicitur quis esse in tali regno; in tali vrbe; in tali domo; in tali sede; in tali pavimento; in talique re quapiam, cui insitit, siue supra quam est, &c. Octavo tanquam res existens in tempore, eoque aut imaginario, aut reali iuxta dicenda disput. 8. Nono tanquam amans in re amata, aut etiam cognoscens in re cognita. Decimo denique tanquam obiectum in cognitione, mediæque illa in cognoscens; & vniuersè tanquam res representata in imagine ipsam representante. Ad quos modos alij, si qui restant, facile reduci poterunt.

Propositio I.

43 Deus est in omnibus rebus per essentiam, præsentiam, & potentiam.

Ita docent omnes Theologi cum Magistro in 1. distinct. 37. sub initium, & S. Th. 1. par. quæst. 8. artic. 3. citantibus pro sententiâ istâ D. Gregor. in cap. 5. Cantic. vbi Glossa eam habet per hæc verba, *Licet Deus communi modo omnibus rebus iust præsentia, potentia, substantia, &c.* In commentarijs tamen D. Gregorij super Cantica non reperitur, vt testantur Vazq. 1. par. disput. 30. cap. 2. num. 8. Smising. tract. 2. de Deo vno disput. 5. quæst. 1. num. 51. & alij. Tamen ex ijs, quæ docet homil. 8. in Ezech. prope medium potuerit deseri. Cæterum non omnes, qui propositionem datam amplectuntur, in eius probatione, seu potius in eius explicatione, siue intelligentiâ conueniunt.

49 Aureolus enim in 1. distinct. 37. quæst. vnic. artic. 3. proposit. 1. censet, cum dicitur Deus esse in rebus per essentiam, præsentiam, & potentiam, non tres modos adhuc ratione nostra diuersos essendi in rebus denotare, sed vnicum tantum significatum tribus particulis. Illâ enim per essentiam designari subitratum, siue subiectum denominatum præsens; illâ verò per præsentiam designari ipsam formam denominantem; illâ denique per potentiam designari determinatum, ratione cuius forma denominans subiecto denominato conuenit. Quasi præsentia in rebus, quæ est forma denominans, essentia Dei, quæ est subiectum denominatum, idcirco conueniat; quia essentia Dei potentiam habet ad operandum in rebus ipsis per se immediatè. Hæc tamen Aureoli explicatio imprimis est contra ceteros omnes Theologos, contra communemque, & vstitutum modum loquendi eorum. Qui per prædicatas tres particulas tres modos diuersos, quos Deus habet, essendi in vnaquaque re, significare intendunt. Diuersos, inquam, non realiter, sed solum per nostram rationem cum fundamento in re: quia non realiter, sed solum per nostram rationem cum fundamento in re distinguuntur inter se (quemadmodum & pleraque alia Dei attributa, seu prædicata) existen-

tia Dei in vnaquaque creaturâ per essentiam, & existentia Dei in eadem creaturâ per præsentiam, & existentia Dei in eadem creaturâ per potentiam; in quo Theologi omnes conueniunt. Deinde male supponit Aureolus, ideo Deum esse præsentem localiter omnibus rebus; quia potens est in eis operari per se immediatè. Nam, licet Deus non possit per se immediatè operari, nisi vbi præsens est, iuxta dicta quæst. 1. proposit. 3. tamen esse præsentem vbique, atque adeo in omnibus rebus non habet Deus à suâ potentia operandi in illis, sed à suâ intrinsecâ immensitate, atque adeo à suâ essentia; à qua nihilominus haberet esse vbique, in omnibusque rebus præsentem; etiam si per impossibile in eis operari non esset.

Albertus in 1. distinct. 37. artic. 5. tres modos 59 prædicatos, quos Deus habet, essendi in rebus sub vna causa exemplaris ratione exponit, ita, vt Deus dicatur esse in rebus per essentiam; quia res habent suam essentiam participatam à diuina: per potentiam; quia habent suam potentiam à diuina; & per præsentiam; quia species suam habent ab ideo, quæ est species in mente diuina. Sed hæc expositio communiter rejicitur. Tum quia, si esset vera, per cetera pariter attributa, in quibus Deus assimilatur creaturis, diceretur in illis esse, vt per bonitatem, per sapientiam, per intellectum, per voluntatem, &c. Quod tamen est falsum. Tum quia iuxta illam, tertium membrum & conuenit cum primo ex parte creaturæ, cuius essentia, & species sunt prorsus idem, & inconsequenter procedit; cum non ponat præsentiam creaturæ à præsentia Dei participatam, vt primum ponit essentiam, & secundum potentiam. Tum denique quia huiusmodi exemplaris participatio attributorum Dei reperta in creaturis impertinens est adhuc, vt Deus dicatur esse in illis. Siquidem eandem haberent, etiam si Deus illas per impossibile in spatio à se distante produceret, & conseruaret. Quo casu nullatenus dici posset Deus in illis esse.

S. Tho. in 1. distinct. 37. quæst. 1. artic. 2. 51 prioris scripti dicit, Deum esse in rebus per præsentiam; secundum quod operatur in illis; per potentiam; quatenus operatio non deserit virtutem, à qua procedit; & per essentiam; quia in Deo re ipsa sunt idem potentia, & essentia. Quam explicationem admittunt vt probabilem Egidius, & Hispanensis apud Gilium lib. 2. de Deo tract. 9. cap. 12. num. 3. In eademque recidit explicatio Alensis, & Durandi apud eundem ibidem. Sed illam reprobant alij communiter, ipseque S. Tho. tacitè retractauit, dum loco citato in secundo scripto, & 1. par. quæst. 8. artic. 3. aliam exhibuit mox referendam. It quidem meritò. Tum, quia supponit, Deum per suam operationem, formaliter esse præsentem rebus, quod falsum est. Tum quia, eo supposito, modi existendi per potentiam, & per præsentiam in eundem, prorsus recidunt. Tum denique quia ponit, existere Deum per essentiam solo titulo identitatis, quam habet essentia cum potentia. Quo titulo per sapientiam, per intellectum, per voluntatem, perque cetera omnia attributa cum potentia identificata erat dicendus Deus in rebus existere. Quod tamen non fit.

Andreas de Nouo Castro in 1. distinct. 37. 52 quæst. vnic. ad 5. & Maior. quæst. 1. artic. 2. dicunt, Deum esse per essentiam in rebus; quatenus partici-

ricipatur ab illis : per potentiam ; quatenus comparatur ad illas ut agens : & per presentiam ; quatenus est ab illis inditans . Quam explicationem amplectitur Recupius lib. 3. de Deo quæst. 12. num. 3. addens ; Deum continere in se creaturas eminenter ratione essentia , & virtualiter ratione potentia . Atque ita Deum , prout sibi tanquam essentia primæ subordinat omnes essentias creatas , esse in illis per essentiam ; prout vero sibi tanquam causa primæ subordinat omnes effectus creatos , esse in illis per potentiam ; prout denique ab illis est inditans , cum illis ve intime penetratus localiter , in illis esse per presentiam . Hæc explicatio probabilior est præcedentibus . Sed non videtur vera . Tum quia continentia eminentialis aliarum essentiarum in diuina nihil videtur conferre ad hoc ut Deus in illis dicatur esse per essentiam ; siquidem est ab illis longè distans , contineret eas nihilominus in se eminenter . Tum quia , esse Deum in creaturis per essentiam , potius videtur præferre intimam , & penetratiuam presentiam in illis essentia Dei ; aliudque subinde venit intelligendum per alium modum essendi in illis per presentiam .

53 S. Bonau. in 1. distinct. 37. 1. par. distinctionis artic. 3. quæst. 2. Ocham. quæst. vnic. lit. C. & Gabr. quæst. etiam vnic. artic. 1. notabil. 3. cum explicatione præcedente conueniunt quoad modum essendi Dei in rebus per potentiam , & per presentiam : modum autem essendi per essentiam dicunt addere intimitatem , & illapsum essentia Dei in rebus , quibus præsens est . Cæterum huiusmodi intimitas , & illapsus presentia penetratiua Dei est proprius , in modoque essendi Dei per presentiam ut intellecto ab his Doctoribus videtur inuolui . Quare iuxta eorum explicationem modi essendi Dei in rebus per essentiam , & per presentiam in eundem videntur incidere , atque adeo non bene distingui .

54 Propter ead. S. Tho. 1. par. quæst. 8. artic. 3. & in 1. distinct. 37. quæst. 1. artic. 2. in secundo scripto , & cum eo plerique Theologi tam antiquiores , quam recentiores consent , idcirco dici Deum esse in omnibus rebus per essentiam ; quia in ipsis intime , & penetratiue per suam substantiam est præsens localiter , iuxta illud Hierem. 23. *Calum & terram ego impleo , dicit Dominus . Per potentiam vero ; quia in ipsis per suam potentiam , virtutem ve actiuam , quidquid sunt ; & habent , operatur , tum producendo , tum conservando iuxta illud ad Hebr. 1. *Portans omnia verbo virtutis sue . & illud 1. ad Corint. 12. *Operatur omnia in omnibus . Per presentiam denique ; quia videns illas intuitiue prout sibi coexistentes , atque localiter presentes eas ut sic in suo conspectu , & coram se presentes habet , iuxta illud ad Hebr. 4. *Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius : omnia autem sunt nuda , & aperta oculis eius .* Quam explicationem amplectuntur cum S. Tho. Altifodorenf. Albert. Ricard. Ocham. Bassol. Gabr. Marsil. & Palat. apud Fasol. 1. par. quæst. 8. artic. 3. Ibidemque Caler. Bann. Valeht. Molin. Zumel. & cæteri Thomista communiter . Necnon oar. lib. 2. de Attrib. cap. 2. Vazq. 1. par. disput. 30. cap. 2. Becan. cap. 6. quæst. 1. Gilli. lib. 2. de Deo tract. 9. cap. 12. Fasol. loco citato . Rada. contr. 18. art. 1. Smising. tract. 2. de Deo vno disput. 5. quæst. 2. num. 5. cum Scoto in Reportatis . Martinon. disput. 5. de Deo sect. 3. Ribas tom. 1. Sum. theol. tract. 2. disput. 4. nu. 5. Del Bene disp. 2.***

de Deo quæst. 7. no. ab. 1. Quiros. tom. 1. de Deo in 3. expos. artic. 3. S. Tho. cit. cum plurius à se citatis , & alij .

55 Quæ quidem explicatio , præter quam quod cæteris congruentior videtur , vel eo maxime titulo tenenda est , quod cæteris est longè communior . In controuersijs quippe de modo loquendi , qualis hæc ferme est , pro frequentiori vocum vsu est standum ; & cum plerisque loquendum . Soleat autem eiusmodi explicatio deduci , seu potius confirmari ex illis Psal. 138. *Si ascendero in calum tu illic es ; si descendero in infernum ades . Si sumpero pinnas meas diluculo , & habitauero in extremis maris ; etenim illic manus tua deducet me ; & tenebit me dextera tua . Et dixi , forsitan tenebræ consulebant me . & non illuminatio mea in delicijs meis ; quia tenebræ non obscurabuntur a te . & non sicut dies illuminabitur .* Nam per verba illa *illic es* , & *ades* significatur modus essendi per essentiam ; per illa vero *illic manus tua deducet me ; & tenebit me dextera tua* , modus essendi per potentiam , quæ per manum & dexteram Dei intelligitur . Per illa denique *tenebræ non obscurabuntur a te* , modus essendi per presentiam intuitus , conspectusque diuini , quem nihil prius latet . Ratione item dicta explicatio inde probanda , siue firmanda venit ; quia iuxta illam congruentissime omnium , appositissimæque ad vsum loquendi communem natura distinctio , siue diuersitas trium modorum essendi in rebus , quem Deus dicitur habere , per essentiam , scilicet ; per potentiam ; & per presentiam ; ut ex cæterarum explicationum refutatione satis superque videtur esse .

56 Contra illam tamen , aut etiam contra hanc præter præterpositionem obijci potest primò . Iuxta proprietatem sermonis esse aliquid alicubi per essentiam ; aliud non est ; quam esse illud ibi præsens per suam substantiam ; ut & ipsa explicatio data supponit . Ergo , loquendo proprie , idem est esse aliquid alicubi per essentiam , & esse ibi per presentiam . Ergo improprie , & abusue dicitur Deus esse in rebus per presentiam , non quod ibi est præsens per suam substantiam ; sed quod res ipsas inuenit . Maxime , cum potius dici solet , esse obiectum in cognoscente per presentiam intentionalem , quam esse cognoscentem in obiecto per presentiam vlam . Alioquin æquè dicendus esset Deus esse per presentiam increaturis pure possibilibus , atque etiam in chymæis impossibilibus ; ut potest quas æquè clarè cognoscit , ac creaturas existentes . Quod tamen est absurdum . Respondeo , ens intellectuale bifariam dici esse præsens alicubi iuxta vsitatum , & proprium loquendi morem . Primò veluti mortuo modo ; ad quod factum est presentia physica . secundo vitali modo ; ad quod præter presentiam physicam requiritur etiam cognitio , animaduersioque , & attentio ad ea , quæ ibi sunt , aut fiunt . Quo sensu dicere solemus , Præsens adfui tali aut tali negotio . In mea presentia tale quid factum est . Coram me , siue in conspectu meo tale quid euenit , &c. Igitur priori genere presentia physice præcisè significatur Deus præsens rebus ; dum dicitur esse in eis per essentiam . Posteriori autem presentia vitalis , & attentæ , addentisque supra physicam cognitionem , & attentionem ad ea , quæ ibidem sunt , aut fiunt ; dum dicitur esse in eis per presentiam . Ex quibus patet , quomodo Deus prout intens res sibi præsen-
tes

res specialiter dicatur in eis præsens adesse, Tametsi & ipsæ intentionaliter dicantur esse præsentis in sui in ratione, Quomodo item Deus defectu præsentia physica ad dictum vtrumque genus requisitæ neutro eorum dici possit præsens adesse creaturis purè possibilibus, aut chymæris impossibilibus; atque adeo neque in illis esse per præsentiam; sed tantum in sibi coexistentibus, & physice præsentibus. In quibus, dum de præsentia existunt, absolute dicitur Deus per essentiam, potentiam, & præsentiam esse modo explicato, Fore vero, dum fuerit futura, Et fuisse, dum iam sunt præterita.

57. Secundo obijci potest, Multis alijs modis, præter tres dictos, dicitur Deus esse in suis creaturis. Diminutè ergo videtur in præsentiarum procedere; dum eos solos tres numeramus, Respondeo, hic solum numerari modos, qui & sunt communes, ac necessarij omnibus omnino creaturis ex hypothesi quod existant; & aequaliter spectant ad Dei immensitatem, de qua tractatur in præsentiarum; quales sunt tres dicti dumtaxat. Cæteri enim, de quibus in proposito, aut aliquibus tantum creaturis, aut non necessario, aut sine respectu ad Dei immensitatem conueniunt.

58. Sed contra obijci potest tertio, Quod solus modus essendi in omnibus rebus per essentiam videtur ad immensitatem Dei spectare, Modus siquidem essendi in illis per potentiam spectat ad omnipotentiam; & modus essendi per præsentiam ad scientiam visionis. Respondeo, modum essendi per præsentiam etiam spectare ad immensitatem; quia inuoluit in suo conceptu præsentiam physicam ad eam spectantem, prout explicauimus. Modum verò essendi per potentiam eatenus etiam ad immensitatem spectare, quatenus, nisi Deus esset immensus, non posset vbiq; operari iuxta doctrinam statutam quæst. 1. proposit. 3. Proindeque neque posset esse per potentiam vbiq; uti reuera potest. Et consequenter neque esset de facto per potentiam in omnibus rebus de facto existentibus. Quandoquidem præsentia physica requisita ad operandum circa illas, vbiq; de facto existunt, atque adeo ad essendum per potentiam in illis, ipsius immensitatis est effectus formalis. Etenim ibi, ipsique in rebus dumtaxat dicitur Deus per potentiam esse, vbi, & in quibus, siue circa quas operatur, vt semper supponimus ex præmissis num. 47.

59. Vnde colliges, in spatio locali extra vniuersum omni re vacuo dumtaxat posse esse Deum per essentiam iuxta dicenda quæst. 4. Quia ibi nihil Deus ad extra operatur, nihilque subinde à se distinctum ibi videt existens. Vbi autem Deus non operatur, nequit dici esse per potentiam; & vbi nihil videt existens à se distinctum, nequit dici esse per præsentiam iuxta explicationem horum modorum essendi statutam, prout constat ex dictis. Quomodo autem ratione præsentia mutæ, intimæ, & physice, quam Deus, & creaturæ inuicem habent, ita Deus dicatur esse in creaturis per essentiam, vt nequeat creaturæ dici pariter esse per essentiam in Deo, ex dictis quæst. 2. proposit. 2. constat.

Propositio 2.

Alijs præterea modis dici Deus potest, 60 & solet esse in suis creaturis.

Primo enim & specialissime dicitur Deus esse in humanitate Christi domini ratione vnionis hypostaticæ. Tum quia talis vnio ita fortasse est in hæc sua comparatione humanitatis iuxta doctrinam tangendam infra disput. 11. quæst. 7. vt ab ea præcisè Verbum inesse humanitati dicendum veniat; sed non è conuersò, Tum quia Verbum, atque adeo Deus infinite supra humanitatem ex cellit. Tum quia est spiritus, & humanitas constat corpore iuxta doctrinam vniuersalem datam in simili quæst. 2. proposit. 2. Aliter insuper Verbum diuinum dicitur esse in Christo domino ad eum modum, quo pars in toto. Et quoniam, quæuis ex tribus personis Sanctissimæ Trinitatis in quavis per circumiessionem dicitur esse, prout docent Theologi, & Patres in tract. de Trinitate, hoc insuper titulo Pater æternus dicitur esse in Christo domino tanquam in Persona diuina, Quo & Christus ipse vt talis dicitur etiam esse in Patre iuxta illud eiusdem Ioan. 14. Ego in Patre, & Pater in me est.

61. Secundo Deus prout in Christo specialiter est in Sacramento Eucharistia, siue in speciebus consecratis, quibus titulis dicebamus quæst. 2. proposit. 2. Necnon in homine communicante, tanquam inclusum in includente, insuperque in ipso homine, in eiusque anima præcisè saltem, superioritatis titulo iuxta dicta ibidem, supposita tamen vnione speciali Eucharistica, de qua Theologi in tract. de Euchar.

62. Tertio Deus specialiter est in istis ratione gratiæ habitualis; tum prout operans in eis hunc effectum; tum vt amans in re specialiter amata amore amicitia iuxta illud Ioan. 14. Qui diligit me sermonem meum seruabit; & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Quo titulo etiam iustus dicitur sapere manere in Deo iuxta illud Ioan. 15. Manete in me, & ego in vobis; & statim, Qui manet in me, & ego in eo; & mox, Si quis in me non manserit; rursusque statim, Si manseritis in me. Myllico insuper modo dicitur Deus esse, vel habitare in iusto vt in suo templo, in quo creditur, adoratur, & colitur iuxta illud Pauli 1. ad Corint. 3. Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis.

63. Quarto specialiter etiam dicitur Deus esse, vel habitare in coelis; quatenus ibi sese ostendit clarè Beatis, seque, & suam gloriam manifestat; variosque effectus ad eorum beatitudinem, statumque beatificum spectantes ibi illis communicat, Math. 5. Et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est; & infra, Vt sitis filij Patris vestri, qui in caelis est; & cap. 6. apud Patrem vestrum, qui in caelis est; & paulo post, Pater noster, qui es in caelis. Sæpissimeque alias.

64. Quinto dici etiam potest Deus esse in vniuersitate rerum velut pars in toto, aut vnitas in multitudine. Sexto dicitur Deus esse in omnibus locis; tum realibus, non solum quatenus loca realia tres quædam sunt, sed etiam quatenus sunt loca, prout explicabimus postmodum. quæst. 4. tum etiam imaginarijs iuxta dicenda quæst. 5. Septimo dicitur Deus, sicut & alia res existentes, esse in tempore tum reali, tum imaginario; imo præ cæteris rebus in omni tempore etiam

etiam imaginario utrimque infinito dicendus esse iuxta doctrinam tradendam disput. 9. Octavo dici Deus potest esse in cognitione creata sui; & media illa in intellectu creato, scilicet obiectivè, seu representativè. Et universè in omni imagine creata sui (qualis specialiter est homo iuxta illud Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*) potest dici representativè esse, velut eius prototypum, &c.

QVAESTIO IV.

Qualiter Deus esse in loco. Et qualiter non esse in loco dicendus sit.

65 Certum est apud omnes Theologos, & Patres, Deum in quodam sensu dici cum veritate esse in loco; & in alio quodam non esse in loco. Quo circa Anselm. in Monolog. cap. 22. dixit, *Summa omnium essentia ubique, & semper, & nusquam, & nunquam, id est in omni, & in nullo loco, aut tempore est, iuxta diversorum intellectuum concordem veritatem.* Et ideo ex Patribus alij negant, Deum esse in loco; alij affirmant; alij simul affirmant, & negant penes diversos sensus, quos vel exprimunt, vel subintelligunt, Pro quorum intelligentiâ.

66 Suppono primò ex dictis supra disput. 5. quæst. 3. duplicem distinguendum esse locum; iuxta communem concipiendi, & loquendi morem; alium, quem dicimus imaginarium, & est spatium locale, cui correspondet res locata cum suâ intrinsicâ vocatione, siue præsentia; alium, quem dicimus realem, & est *ultima superficies corporis continenti immobilis primò*, iuxta definitionem eius traditam ab Arist. lib. 4. Physic. cap. 4. ab alijsque receptam communiter.

67 Suppono secundò, tres communiter proprietates loci realis recenseri à Philosophis post Arist. lib. 4. phys. Prima est, continere, seu circumscribere, seu terminare, & definire, siue finire rem locatam. Secunda, eam conservare, Tertia, eam mensurare. Cæterum secunda non convenit omni loco reali; proindeque non est in rigore proprietas eius; quia non omnis locus realis circumscribens rem locatam inuat ad eius conservationem; cum multa potius concurrant ad eius corruptionem. Tertia autem non est proprietas loci realis, sed passio communis ipsi, & imaginario: utpote quod etiam rei locatæ mensura est. Sola ergo prima est proprietas loci realis prout distincti ab imaginario: quia soli reali, non item imaginario, convenit continere, circumscribere, terminare, siue finire rem locatam. Quo fit, ut locus realis infinitus esse non possit; cum tamen locus imaginarius bene possit esse infinitus iuxta dicta de naturâ eius loco citato.

68 Suppono tertio, alias esse præterea passiones utriusque loco, reali scilicet, & imaginario, communes. Prima, esse immobilem. Secunda, esse acquisibilem per motum locationis. Tertia, esse susceptivum, seu receptivum rei locatæ. Quarta, esse implebilem, siue replebilem per illam. Quinta, esse æqualem, vel inæqualem rei locatæ. Et, si quæ sunt aliæ huiusmodi. His positis.

Propositio 1.

Deus omnino dicendus est non esse in loco, si sermo sit de loco reali formaliter prout continente, circumscribente, siue finiente rem locatam.

Quia Deus intra nullum locum realem ita continetur, circumscribitur, siue finitur, ut insuper extra illum in infinitum non extendatur. Afferere autem in sensu dicto, Deum in loco esse, perinde esset, ac afferere, Deum intra aliquem locum ita contineri, circumscribi, siue finiri, ut extra illum non existeret. Quod omnino falsum, atque adeo negandum est, & oppositum asserendum, uti fert nostra propositio.

70 Et isto quidem sensu verissimè negant Patres, Deum esse in loco, aut affirmant, non esse in loco, ut & eorum verba, quæ iam iam subijcio plerumque præferunt. Etenim Clemens Alex. lib. 2. Strom. paulò post principium ait. *Non est Deus in loco, sed supra locum, & tempus.* Athanas. orat. contra Gregales Sabellij. *Impium, aut querere, aut cogitare, ubi sit Deus, aut quem locum obtineat Verbum, aut Spiritus sanctus in quo domicilio claudatur.* August. lib. 83. qq. quæst. 20. *Deus non alicubi est: quod enim alicubi est, continetur loco. Et tamen quia est, & in loco non est, in illo sunt potius omnia, quàm ipse alicubi.* Tertull. lib. 20. aduersus Praxeam cap. 16. *In quo omnis locus, non ipse in loco.* Damasc. lib. 1. fidei cap. 16. *Deus in loco non est, ipse enim sui ipsius locus est, cuncta replens, & super omnia eminens, & ipse continens omnia.* Anselm. in Monologio cap. 22. *Non irrationabiliter dicitur, quia nullus locus est eius locus, & nullum tempus est eius tempus; quia cum nullus locus, aut tempus aliqua continentia claudat.* Similia habent plures alij Patres, quos plena manu refert Gillius lib. 2. de Deo tract. 9. cap. 15. Cum quibus etiam Philo hebræ lib. 2. legis allegor. inter principium, & medium ait, *Deum esse nusquam: nam ipse non continetur, sed universa continet. Quid quid autem in loco est, id contineri, non continere, necessario sequitur.*

Propositio 2.

Deus omnino dicendus est esse in omni loco; & consequenter in loco; quatenus omnia loca suâ immensitate implet, seu replet, in omnibusque est intimè præsens; quin ab ullo circumscribatur, seu terminetur, seu finiatur.

71 Probatur manifestè primò, Quia omnino dicendus est Deus esse ubique. Id enim absque dubio est de fide, prout supra quæst. 1. proposit. 1. ex Scriptura, & Patribus ostensum est. Tenentque expressè plerique ex patribus ibi commemoratis. Sed esse ubique, & esse in omni loco, prorsus est idem, ut & ex se patet, & docent, S. Tho. 1. par. quæst. 8. artic. 2. dicens, *Deus est in omni loco; quod est esse ubique.* Et Anselm. in Monologio cap. 22. in fine, *Ubique, id est in omni loco.* Ergo Deus omnino est dicendus esse in omni loco; & consequenter in loco penes sensum dictum.

72 Secundò probatur ex eo, quòd Deus tum in Scripturâ, tum passim à Patribus omnia implere,

plere, siue replere dicitur. Vnde planè sequitur, cuncta etiam replere loca, sicque in illis intimè, præsentialiter, & repletivè esse. Sap. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Hierem. 23. *Cælum, & terram ego impleo.* Cyrill. Alex. lib. 9. contra Iulianum aliquantò post medium. *Omnia illo plena sunt.* Damasc. lib. 1. fidei cap. 16. *Cuncta replens.* Fulgent. lib. 2. ad Monimum multò ante medium ait, *Deum omnia implere sua præsentia.* Hieron. in Isaia. 6. initio. *Qui complet omnia.* Et Concilium Ephesin tom. 1. cap. 6. paulò post principium, *Divinitatis natura omnia implet.* Similiaque habent plures alij Patres tum supra quæst. 1. proposit. 1. commemorati, tum infra quæst. 5. proposit. 1. referendi.

73 Tertiò probatur ex alijs Patribus expressius adhuc dicentibus, Deum esse in loco, videlicet in senty explicato. Hi sunt Origen, id Iob. cap. 1. *Venerunt Angeli Dei.* Basil. orat. 2. de Precatione ante medium, Cyrill. Hieros. cateches. 6. ante medium, Hieron. in id Hierem. 23. *Deus apud propinquans ego sum.* Gregor. homil. 28. in Euang. circa illud Ioan. 4. *Rogabat eum, ut descenderet.* Anastas. Synait. lib. 2. anagogic. contemplat. in Hexamer. Bernard. serm. 6. in dedicat. eccles. Ac denique, præter alios, Philo lib. 2. legis allegoriar. initio dicens. *Quem locum occupabis, in quo non sit Deus?*

74 Demum utraque data propositio ijs testimonijs Patrum probanda, & confirmanda venit, quibus simul negatur, & affirmatur aliquo modo, Deum esse in loco; scilicet penes diversos sensus expositos. Auctor enim libri de Speculo, cap. 16. apud August. tom. 9. ait. *Omnia enim in loco esse non potes; quoniam ubique es, & non in loco: unde difficile inveniatur, ubi sis: sed multò difficilius ubi non sis.* Hieron. in id Psal. 30. *Statuisti in loco, & in id Psal. 70. Ego mihi in locum munitum, dicit, Deus non est localis: quia ubique est.* Cyrill. Alex. lib. 9. contra Iulianum aliquantò post medium. *Deus non in loco dilatarit enim ubique, & omnia illo plena sunt.* Hilari. lib. 1. de Trinit. non longè à principio. *Neque in aliquo ipse, neque non in omnibus est.* Chrysol. homil. 5. in cap. 2. ad Colosens. circa medium. *Nusquam est Deus, & est ubique.* August. epist. 112. ad Paulinum de videndo Deo cap. 11. *Ubiq; totus est; & nullo continetur loco.* Fulgent. lib. 2. ad Monimum ante medium. *Tota Trinitas sic localiter nusquam est, ut tamen nusquam desit: atque ita est ubique tota, ut nec per partes creatura totius particulariter diuidi; neque vniuersitate totius possit creatura concludi.* Bernard. lib. 5. de Considerat. paulò ante medium. *Nusquam est, qui non clauditur loco: & nusquam tamen non est, qui non excluditur loco.* Boetius de Trinit. cap. 9. loquens de Deo ait. *Nusquam in loco esse dicitur; quoniam ubique est, sed non in loco.* Denique Ricard. de S. Victor. lib. 2. de Trinit. cap. 23. ait. *Localiter nusquam est: quia à nullo loco concludi, à nullo loco secludi potest, & sicut in omni loco est præsentialiter; in nullo localiter: sic in omni tempore est æternaliter, in nullo temporaliter.* Ex quibus omnibus apparet, Deum in omni loco esse intimè, præsentialiter, & repletivè. Tametsi in nullo loco sit circumscriptivè, aut definitivè, hoc est à loco circumscriptus, seu terminatus, aut definitus, seu finitus. Quomodo autem Deus sit intimè, præsentialiter, & repletivè, non solum in locis realibus, de quibus potissimum in præsentia tractant Doctores, sed etiam

in imaginarijs, ex dicendis, quæst. 5. competum fiet.

75 Modò ex dictis in præsentia infero primò contra Gilli lib. 2. de Deo tract. 9. cap. 15. num. 11. Deum non improprie, sed proprie dici esse in locis, quo sensu dicitur esse in illis, sicut proprie negatur esse in locis, quo sensu negatur. Quia Deus non minus est intimè præfens locis, quam rebus, sed ab intima præsentia, qua præfens est rebus, dicitur proprie in illis esse, ut nemo negat. Ergo potiore iure dicitur ab eadem proprie esse in locis: (tametsi ab eis non sit circumscriptus, nec definitus). Cum loca speciali titulo sint quædam receptacula eorum, quæ intra illa præsentia sunt; & si sint etiam extra. Id quod colligitur ex Patribus in hac quæst. commemoratis; quatenus tam absolute affirmant, Deum esse in locis, scilicet intimè præfens, quam negant, esse in illis, scilicet circumscriptus, seu terminatus. Quod argumento est, apud ipsos non magis propriam esse vnam harum locutionum, quam alteram.

76 Secundo infero contra Recupit. lib. 4. de Deo quæst. 13. Deum non solum esse in locis realibus, (quo sensu à Patribus, & Scolafticis dicitur esse in illis), quatenus loca realia res quædam sunt; sed etiam quatenus sunt loca; præscindendo tamen ab eo, quòd terminatiua sint rei locatæ. Quia, si, ut sunt præcisè res quædam, diceretur Deus esse in illis, dumtaxat diceretur esse in concavis superficiebus in quibus realiter consistunt; non item in cavitatibus ab eis comprehensis. Quo fieret, ut dici non posset loca ipsa replere; atque adeò neque in eis intimè præfens esse, prout dicitur à Patribus locis citatis. Et quidem conceptione omnium, quidquid dicitur esse in loco reali, intra ipsum in eà capedine, quam circumscribit, censetur esse, præscindendo ab eo, quòd sit etiam extra, vel fecus.

77 Tertiò inferò cum Gilli, contra Recupit. di-ferimen interesse Deum in rebus, & esse in locis realibus, non stare solum in eo, quòd res vniuersaliores, quam loca realia, sunt eo quòd omnia loca realia sunt res, non tamen è conuerso. Sed in eo stare, quòd in rebus est Deus intimè penetratus cum illis; in locis vero realibus carens dicitur esse, quatenus replet cavitate, quam ambiat, præscindendo à penetratione, quam habet cum concavis superficiebus, in quibus, illa consistunt, prout res quædam sunt. Itaque in vltimà superficie aeris circumambiente globum terræ Deus est tanquam in re quadam, intra ipsam verò in tota capedine, quam globus terræ occupat, est tanquam in loco. Tametsi non circumscriptus, aut definitus ab illo: quia quasi redundans extensus insuper est extra.

78 Quartò infero cum Altifidor. Bonauen. Syluest. Gilli. vbi supra cap. 16. & Recupit. num. 7. contra Caiet. Fasol. 1. par. quæst. 8. art. 2. dub. 2. & alios Thomistas, Deum in loco esse repletivè quasi formaliter, non verò dumtaxat causaliter. Quia Deus, non solum quatenus aliquid causat in locis, sed etiam quatenus illis est intimè præfens per suam substantiam, dicitur esse in illis, ut est notissimum; alioquin non per essentiam, & potentiam (vti debet sicut in rebus iuxta dicta quæst. 3.) sed per potentiam solum esset in ipsis. Proindeque per solum operationem; non item per suam substantiam esset ubique. Quod planè est absurdum contra doctrinam catholicam statu-ram

ram quæft. 1. Effe autem Deum in locis per fuam substantiam intimè præfentem, id ipsum, & non aliud, est, esse in illis repletivè quasi formaliter. Vbi obiter nota, Deum non replere loca sicuti corpora, obitandò, ne corpora alia capiantur ab illis; sed ita replere, ut simul cum Deo, quo plena sunt, possint loca quælibet alia entia, utpote cum Deo penetrabilia, in se capere.

79 Quintò infero cum Recupit, ubi supra num. 6. loca realia etiam dici esse in Deo, quo sensu cætera quæque res in Deo esse dicuntur, iuxta dicta à nobis supra quæst. 2. proposit. 3. quatenus scilicet illa ab immenfitate Dei localiter circumplectuntur, & continentur. Quocirca Pet. Damian. epist. 4. cap. 6. de Deo dicit, *In se omnia continet loca.* Hilar. lib. 1. de Trinit. *Nullus sine Deo locus; neque ullus non in Deo.* Nouat. de Trinit. cap. 25. *In quo omnis locus est.* Et Theophil. Antioch. lib. 2. ad Ant. dixit, *Deum esse omnium locum.*

80 Sextò infero discrimen, quod reperitur inter modum essendi in loco reali, quem Deus habet, & quem habet creatura. Hæc enim, quando corporea, & extensa est, ita est in loco, ut singulæ partes eius singulis partibus capedinis loci correfpondeant; quando verò est spiritalis, & inextensa, ut Angelus, ita est in loco, ut tota correfpondeat integræ capedini loci, & tota singulis partibus eius, utraque tamen ita terminata est à loco, circumscripta, vel definita, ut extra illum non egrediatur. Quo fit, ut tam in sensu prioris, quam in sensu posterioris propositionis veniat dicenda illa verè esse in loco. At Deus ita est in loco, ut totus in toto, & totus in singulis eius partibus fit, in quo à creaturâ corporeâ differat, & convenit cum spiritali. Differt verò ab utraque, quod non est terminatus, nec circumscriptus, nec definitus loco; sed extra ipsum protensus. Eoque iure in sensu prioris propositionis verè negatur esse in loco; tamen verè affirmetur esse in loco in sensu posterioris.

QVÆSTIO V.

Vtrum Deus extra Mundum uniuersum sit præfens in toto illo spatio locali, quod imaginarium appellant.

81 **S**uppono primò tanquam certum, extra totum omnino Mundum, extraque uniuersa entia creata, atque contenta in illo concipere nos siue imaginari vastitatem quamdam, siue capedinem, in infinitum circumquaque diffusam adinstar cuiusdam magnitudinis extensæ circumquaque infinitè, siue absque vllò limite, & termino, ab omni ente permeabilis, seu penetrabilis, atque æternaliter, & immobiliter existentis. Quæ id circo spatium imaginarium circumquaque infinitum dicitur; quia prout à nobis concipitur reipsa non est. Pariterque, si Deus anihilaret omnia entia, quæ existunt intra superficiem concavam firmamenti, vastitas illa, siue intercapedo, quæ à nobis conciperetur adinstar cuiusdam rotundæ magnitudinis, siue extensionis intra superficiem ipsam relictæ, spatium diceretur ima-

ginarium, finitum tamen, & terminatum ipsamet superficie.

82 Suppono secundò, id, quod spatium imaginarium dicitur, & à nobis per speciem cuiusdam magnitudinis localiter extensæ modo dicto concipitur, in possibilitate, seu quiditate reali, & verè præfentiarum localium verorum entium circumquaque extensarum, vnus ve præfentia localis ex eis compositæ circumquaque extensæ consistere reipsa, & independentè à conceptione nostrâ. Quæ subinde præfentia localis possibilitas, siue quiditas capacitas quædam realis talium entium venit dicenda; non quidem realitate existentia, sed essentia, seu quiditatis, seu possibilitatis: spatiumque locale reale pariter nuncupari potest, & solet, realitate scilicet non existentia, sed essentia, seu quiditatis. Essetque nobis, prout illud concipimus, mensura, qua metimur, & respectivè ad quam dignoscimus præfentias, atque distantias locales omnium rerum tam spiritalium, quam corporalium; prout latè à nobis est explicatum, atque probatum supra disput. 5. quæst. 2. Cuius doctrina hic recolenda, & supponenda est.

83 Suppono tertio ut prorsus certum apud omnes Theologos, Deum ratione suæ immenfitatis ita esse constitutum veluti in actu primo, ut non possit non esse intimè præfens omni enti creato ex hypothesi, quòd illud existat, & ubicunque existat. Atque ita casu, quòd modò extra totum, hunc Mundum in quouis spatio locali, siue loco quantumvis ab hoc Mundo distante alter Mundus, aut quoduis aliud ens denuò poneretur existens, fore, ut necessariò Deus per suam substantiam esset illi intimè præfens in eodem spatio, siue loco; quin aliquam propterea denuò mutationem intrinsecam, aut motum localem, aut vbiocationem subiret. Id enim saltem est essenziale immenfitati, quam Deus habet iuxta fidem, prout quæst. 1. statuimus, quòd Deus ipse cuilibet enti in quouis tempore, in quouisque spatio locali, siue loco existenti absque omni prorsus mutatione intrinsecâ sui reddatur, & sit intimè præfens in eodem tempore, in quo existens, in eodemque spatio, siue loco, in quo præfens est tale ens. Quo circa veritas huius suppositionis à nullo catholico credente, Deum esse immensum, negatur, aut negari potest.

84 Ex eâ autem duo necessariò sequuntur prorsus itidem certa. Primum, Deum actualiter & de facto esse præfentem omnibus entibus de facto intra Mundum existentibus in eisdem spatijs, siue locis, in quibus ipsa præfentia sunt. Secundum, Deum talem saltem habere potentiam ad essendum actualiter, & de facto præfentem omnibus entibus, quæ extra Mundum possunt existere in eisdem spatijs, siue locis, in quibus extra Mundum existere possunt, ut casu, quòd in eis existerent, necessariò in eisdem esset Deus illis intimè præfens absque vllâ prorsus variatione, seu mutatione intrinsecâ sui.

85 Tota igitur difficultas præfentis quæstionis, totumque in eâ Auctorum diffidium est. An Deus tam nunc dicendus sit esse extra Mundum actualiter, & de facto præfens in illis spatijs localibus, in quibus prædicta entia possibiliter præfentia dicerentur esse, si existerent.

86 Prima sententia negat. Quam tenent Vazq. 1. par. disput. 29. cap. 2. cum Altifidior. Bonau. Ricard. Scot. Durand. Capreol. Dionys. carthus. Argent. & alij à se relatis, Monachus in suis disputat. theolog. disput. 1. cap. 2. Granad. 1. par. tract.

tract. 3. disp. 3. sect. 2. Tanner. disput. 2. quæst. 2. dub. 4. Mærat. disput. 3. sect. 1. Ignat. Derkenn. disput. 5. de Deo cap. 1. Pasqualig. 1. par. disput. 17. sect. 7. Necon Tartaret. Bargi. Licher. No-uocast. Bann. & Nazar. apud Recupit. lib. 4. de Deo quæst. 4. & alij. Addit Vazq. neque in loco vacuo fore Deum actu, si quando intra Mundum daretur.

87 Secunda sententia extremè opposita affirmat. Quam amplectuntur Soar. disput. 7. Metap. sect. 7. & lib. 2. de Attrib. cap. 2. Molin. 1. par. quæst. 8. art. 1. disput. 3. Valent. disput. 11. quæst. 8. pun. 2. Arrub. disp. 11. cap. 6. Albertin. in Prædic. Vbi quæst. 2. ad 6. & Coroll. 6. num. 16. Lessi. de Perfect. diuin. lib. 2. cap. 2. Rayn. in Theolog. natur. dist. 1. quæst. 1. art. 6. Martinon. 1. par. disput. 5. sect. 3. & 5. Bœcan. tract. 1. cap. 6. quæst. 2. Franc. Amic. disput. 8. sect. 3. Recupit. vbinuper, Quiros tom. 1. de Deo in exposit. art. 2. quæst. 8. S. Th. Ribas tom. 1. Sum. Theol. tract. 2. disput. 4. cap. 4. Del Bene disput. 2. de Deo quæst. 7. obiect. 5. Fonsæ. lib. 5. Metaph. cap. 15. quæst. 9. sect. 4. Sor. lib. 4. Phys. quæst. 2. Pet. Hurt. disput. 14. Phys. sect. 4. Arriag. disput. 14. Phys. num. 69. Carlet. disput. 33. Phys. sect. 4. & apud eos alij antiquiores. Quorum plures refert Gillius locis statim citandis. Qui omnes potiori iure sentiunt, casu, quòd intra Mundum daretur aliquis locus vacuus, Deum intra illum actualiter præsentem fore.

88 Tertia sententia media est, Deum quidem actualiter, & de facto esse extra Mundum; non tamen esse præsentem in spatijs diuicis imaginarijs. Ita Gillius lib. 2. de Deo tract. 9. cap. 18. 20. & 21. Fasol. 1. par. quæst. 8. art. 1. dub. 3. & 4. Smising. tract. 2. de Deo vno disput. 5. quæst. 2. à num. 62. Lallemandet. disput. 6. de Deo vno in Decisione. Et apud eos alij. Addit Gill. cap. 19. si daretur intra Mundum locus aliquis vacuus, Deum in eius inanitate non fore actualiter; bene tamen in ipso loco consistenti in vltimâ superficie corporis realis eam vacuitatem ambientis.

Propositio I.

89 Deus omnino dicendus est esse extra Mundum actualiter, & de facto.

Id enim imprimis apertè videtur constare ex sacra Scriptura, & ex communi consensu Patrum. Dicitur enim de Deo Iob. 11. *Excelsior celo est.* Qualis non esset, nisi supra, atque adeò extra cælum & Mundum esset; vt ad eum locum notat Gregor. lib. 10. Moral. cap. 7. Ex eodemque infert ibi Hieron. omnia esse intra Deum sicut locata intra locum exterius ipsa circumdantem. Dicitur etiam 3. Reg. 8. & 2. Paralip. 2. *Cælum, & cæli calorum te capere non possunt.* Iuxta quod canit Ecclesia. *Quem totus non capit orbis,* Quia scilicet Deus quasi redundat, nec solum intra, sed etiam extra Orbem totum est, Et Isaia 40. *Quis mensus est pugillo aquas; & cælus palmo ponderauit; Quem locum exponens Gregor. lib. 2. Moral. cap. 8. ait. Cælum palmo metiens, & terram pugillo concludens ostenditur, quòd ipse sit circumquaque cunctis rebus, quas creauit, exterior.* Id namque, quod interius concluditur, a concludente exterius continetur. Per pugillum ergo, quo continet, exterius, subterque signatur: quia enim ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra

omnia. & mox. *Extra circumdans, & exterius ambiens, interius penetrans, & replens. & rursus homil. 17. in Ezech. circa medium. Qui cælum palmo, & terram pugillo concludit, exterius superius, & inferius est.* Vt ergo Deus se ostenderet omnia circumdare, cælum metiri palmo, & terram se afferit pugillo concludere. Ipse est interior, & exterior, ipse inferior, & superior &c. Et Hieron. in Isaia 66. paulo post principium. *Per quæ, inquit, ostenditur Deus & forinsecus, & extrinsecus, & infusus, & circumfusus, dum & solio ambiente non concluditur, & pugillo concludit, ac palmo, & in illud Ezech. 40. Et introduxit me in atrium, ait. Deus & circumfusus est, & infusus, dicens per Prophetam, Qui tenet cælum palmo, & terram pugillo, vt omnia ab illo videantur includi. Eodem modo explicant hunc locum Athanas. de vnit. subst. Trinit. lib. 5. infine, Petr. Damian. epist. 4. de Dei omnipot. cap. 6. Vbi hæc inter alia. *Ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia.* Et Hilari. lib. 1. de Trinit. non longe à principio, Vbi habet. *Deus intra, & extra, & super eminens.* & paulo post. *Inest interior, excedit exterior.* Præterea Isaia 66. dicitur *Cælum mihi sedes est, Quo significatur Deus supra, atque adeò extra cælum, & consequenter extra Mundum esse, Vt etiam exponunt Gregor. Hieron. Athan. Petr. Dam. & Hilari. locis citatis. Quibus adde Gryll. Hierosol. Cateches. 6. dicentem, Sedes ipsi cælum; sed illud tamen excellit sedens.**

Iam vt clarè cernatur, quàm sit in re præsentè constans consensus Patrum, aliquot præterea oportebit testimonia eorum adiungere variè idem ipsum contestantia, prout sequitur. Athanas. epist. 1. ad Scrapionem in medio. *Vbi que est, & extra omnia; implet omnia manens extra omnia.* Darnasc. lib. 1. fidei cap. 16. *Deus incircumscriptus cuncta replens, & super omnia eminens.* Et infra. *Totum totaliter ubique existentem; totum in omnibus, & totum super omnia, & cap. 17. Deus ubique existens; & super omne ubique.* Dionys. cap. 9. de diuin. nominib. *Magnus Deus nominatur secundùm magnitudinem ipsius; qua extra omnem magnitudinem; & supersufusa, & superextensa omnem locum continet.* Vbi S. Th. lect. 1. *Deus dicitur magnus simpliciter, in quantum magnitudo eius extra omnem magnitudinem est supersufusa ad similitudinem rerum humidarum, vt aeris, & aquæ; & superextensa ad similitudinem corporum siccorum, & solidorum.* Et sicut locus dicitur esse maior, qui est magis continens; ita Deus dicitur esse simpliciter magnus secundùm locum, in quantum continet omnem locum. Origen. lib. 1. in Iob. ad illa verba. *Factum est quasi dies illa, &c. Vniuersa eius replet beatitudo; vniuersa circumdat virtus; cuncta eius continet magnitudo, & lib. 7. contra Cælum paulo ante medium, Deus loco non continetur: est enim omni loco præstantior, vt complectens in se omnia; cum ipsum nihil possit capere.* Alcuin. lib. 2. de Trinit. cap. 4. circa finem (habetur tom. 3. Biblioth. Patr.) *Deus exterior est, vt omnia concludantur ab eo.* Machar. Senior Egypt. homil. 12. post medium tom. 2. Biblioth. *Deus est ubique, & sub terra, & super cælus, seu apud nos ubique est.* Ambros. in id ad Ephes 3. *Vt in ebaritate radicati, &c. In Deo omnia equalia sunt immensitate infinitatis, & non solum implet omnia, sed etiam excedit.* August. lib. de cognit. veræ vitæ cap. 29. *agens de immensitate Dei ex professo. Vbi que scilicet in omnibus, & extra omnia est totus extra omnem locum, replens om-*

omnia . & lib. de essentia diuinitatis initio , Extra omnia est ; sed non exclusus , Intra omnia est ; sed non inclusus . & lib. 8. de Genes. ad lit. cap. 20. *Omni re interior , omni re exterior .* & lib. 7. Confess. cap. 5. *Constituebam in conspectu spiritus mei uniuersam creaturam finitam , & te Domine ex omni parte ambientem eam ; & penetrantem ; sed usquequaque infinitam ; tanquam si mare esset ubique , & undique per immensa spacia infinitum solum mare . & haberet intra se spongiam quamlibet magnam ; sed finitam tamen ; plena esset undique spongia illa ex omni sua parte ex immenso mari : sic creaturam tuam finitam , te infinito plenam putabam , & dicebam . Ecce Deus , & ecce , qui creauit , & ecce quomodo ambit , atque implet ea .* & lib. 11. de Ciuit. Dei cap. 5. ubi disputans cum ijs , qui querebant , cur Deus Mundum in tali tempore , & non antea fecerit , ait , *An forte substantiam Dei , quam nec includunt , nec determinant , nec distendunt loco , sed de eâ , sicut de Deo sentire dignum est , fatentur incorporâ præsentiâ ubique totam , à tantis locorum extra Mundum spacijs absentem esse dicturi sunt ; & in uno tantum , atque in comparatione illius infinitatis tam exiguo loco , in quo Mundus est , occupatam ? Non opinor eos in hæc uaniloquia progressuros .* Elias Cretens. in orat. 1. apolog. Nazianc. pag. 41. *Quis nescit , eum ubique presentem esse , omnia implere , & supra omnia esse ?* & in orat. 24. pag. 653. *Quis locus Dei esse possit , qui caelum , ac terram implet , atque ubique præsens est , & omnia superat ?* Isidor. lib. 1. sent. de lum. bono cap. 2. *Immensitas diuina magnitudinis ita est , ut intelligamus eum intra omnia , sed non inclusum ; extra omnia , sed non exclusum ; & ideo interiorum , ut omnia contineat ; ideo exteriorum , ut circumscriptæ magnitudinis suæ immensitate omnia concludat .* Irenæ. lib. 2. aduersus hæres. cap. 2. *Cum oporteat Deum omnia circumcontinere ; ipsum autem contineri à nemine .* Ricard. Victori. lib. 2. de Trinit. cap. 23. *Si essentialiter ubique est . Ergo & ubi locus est , & ubi locus non est . Erit itaque & intra omnem locum , erit & extra omnem locum ; erit supra omnia , erit infra omnia , intra omnia , extra omnia .* Sed quoniam simplicis naturæ est Deus , non erit hic , & ibi per partes diuisus , sed ubique totus . Erit itaque in quantalocunque cuiuslibet parte totus totus , & in toto totus , & extra totum totus . Auctior libri de speculo cap. 2. apud August. tom. 9. *Capiunt ergo te caelum , & terras quoniam tu implet ea . An implet , & restat , quod te non capiunt ? Et quò respondis , quidquid , impleto caelo , & terra , ex te restat ? Anne opus babes , ut à quoquam continearis , qui contines omnia ?* Denique S. Th. quod lib. 11. art. 1. *Deus non solum est in ijs , quæ actu sunt ; sed etiam in ijs , quæ imaginatione concipi possunt .* Et 3. par. quæst. 52. art. 3. ad 3. *Omnia loca simul accepta Dei immensitatem comprehendere nequeunt ; imo ipse omnia suâ immensitate comprehendit ; neque ita est in Mundo , ut non sit etiam extra .*

91 Ex quibus omnibus manifestum videtur , nullatenus negari posse , Deum actualiter , & de facto esse extra Mundum ; quin sacræ Scripturæ , communique Patrum consensu contradicatur . Quod enim respondent Vazquez , Monczus , & alij Auctores relati pro primâ sententiâ , Scripturam scilicet , & Patres modis loquendi commemoratis tantum uelle significare , Deum à toto Mundo , in quo est , non ita circumscribi , & definiri , ut nequeat ultra in infinitum se extendere , creatis tamen nouis rebus , in quibus sit . Non enim uelle Scripturam , & Patres , Deum iam

actualiter , & de facto extra Mundum esse ; sed suâ infinitâ immensitate , ac potestate in maiore , & maiore mundo , in alijsque , & alijs infinitis rebus , aut etiam mundis à se creabilibus esse posse . Hoc , inquam , responsum minimè satisfacere , compertum proculdubio esse uidetur . Cum enim Patres consentaneè ad Scripturam sensum per tot uerba actum , & non meram potestatem significantia toties absolute , & absque ullâ limitatione dicant . Quod Deus excelsior est Cælo . Quod manet intra omnia , extra omnia , supra omnia , & infra omnia . Quod est interior , & exterior , inferior , & superior . Quod omnia excedit , & supereminet . Quod est forinsecus , & intrinsecus , infusus , & circumfusus . Quod uniuersa extra , circumdat , exterius ambit , continet , concludit , complectitur , comprehendit , & cætera id genus . Violentissime , imo falsissime non de actu , sed de potentiâ ad actum cuncta hæc uidentur exponi . Quali sentiant , uelintque Patres , non actu conuenire Deo , sed conuenire tantum posse id , quod toties , tamque varijs modis absolute , & simpliciter , & absque ullâ limitatione affirmant , ipsi conuenire . Quod quam ut à ueritate alienum , & planè absurdum , nemo non uidet . Et quidem , cum eodem tenore uerborum plerumque affirmet Patres simul , quod Deus est intra , & extra omnia , interior , & exterior , forinsecus , & intrinsecus , infusus , & circumfusus , & similia ; quam euidentem est , Patres loqui non de sola potentiâ Dei ad existendum intra Mundum , sed de existentiâ actuali , quam Deus intra Mundum habet de facto ; tam euidentem est , loqui Patres non de sola potentiâ Dei ad existendum extra Mundum , sed de existentiâ actuali , quam Deus ab ipsis extra Mundum censetur habere . Concluditur ergo manifestè , consentanter ad mentem Patrum , & ad Scripturam sacram , quam ipsi sequuntur , omnino dicendum esse , Deum esse extra Mundum actualiter , & de facto , ut nostra propositio fert . Id quod inde ostenditur insuper . Quia de Angelo intra Mundum tantum actu existente perperam , & fallaciter affirmaretur esse extra Mundum ex eo præcisè , quod ille extra Mundum potest existere . Igitur perperam , & fallaciter affirmarent Patres de Deo , esse extra Mundum ex eo præcisè , quod Deus extra Mundum potest existere , nisi non tantum , intra Mundum , sed etiam extra Mundum Deus existeret actu . Ast tale quid de Patribus dicendum non est . Igitur iuxta affirmationem eorum omnino dicendum est , Deum actu esse extra Mundum .

Deinde propositio nostra probatur . Quia 92 propter testimonia expressa sacræ Scripturæ necessario dicendus est Deus actualiter extitisse ante Mundum , siue ante , quam existeret Mundus . Ergo etiam est necessario dicendus Deus actualiter extiterè extra Mundum . Consequentiâ bona est . Quia , sicut nullum extitisse tempus reale ante Mundum , non obstat , quominus uerè dicatur Deus ante Mundum actualiter extitisse , ita nullum existere locum realem extra Mundum , nequit obstat , quominus Deus uerè dicatur existere actualiter extra Mundum , Antecedens autem constat ex illis Psal. 73. *Deus autem Rex noster ante secula ,* Plal. 89. *Præius , quàm montes fierent , aut formaretur terra , & orbis à seculo , & usque in seculum tu es Deus .* Ecclesi. 24. *Ab initio , & ante secula creata sum .* 1. ad Corint. 2. *Quam prædestinauit Deus ante secula .* Ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso*

ipso ante Mundi constitutionem. Ad Tit. 1. *Quam promissit, qui non mentitur; Deus ante tempora secularia.* Ex alijstque huiusmodi.

93 Tertiò probatur propositio. Quia si Deus, ut potest, produceret quoduis ens extra Mundum; eique subinde necessariò esset intimè præsens ratione suæ immensitatis iuxta doctrinam certam statutam suppositione tertia; tunc certè non solum tale ens, sed etiam Deus diceretur verè esse extra Mundum, ut fatentur omnes. Sed in eo casu, quemadmodum dictum ens non aliunde haberet esse actu extra Mundum, quam à præsentia sibi extrinsecà, quæ suapte essentià esset ipsius præsentia extra Mundum iuxta doctrinam generalem de præsentijs localibus disput. 5, traditam; ita Deus non aliunde haberet esse actu extra Mundum; quam à suâ intrinsecà, & secum identificatâ præsentia, quæ pariter suapte essentià præsentia ipsius est extra Mundum. Ergo etiam nunc, quando nullum aliud ens est actu extra Mundum, Deus extra Mundum actu est. Patet consequentia: quia, cum Deus nunc eandem præsentiam sibi intrinsecam, & secum identificatam habeat, quam tunc haberet, ut est certissimum; eundem effectum eius formalem existendi actu extra Mundum debet habere nunc, ac haberet tunc, ut etiam est notum.

94 Et confirmari clarè potest primò. Quia ex hypothese impossibili, quòd Deus non esset intimè præsens prædicto enti existenti extra Mundum, adhuc ens ipsum actu extra Mundum permaneret; quia retineret sibi inhærentem vocationem, quæ suapte essentià esset vocatione ipsius extra Mundum. Sed Deus identificatam sibi retinet vocationem modo, (quando prædicto enti ex defectu ipsius extra Mundum præsens non est); à qua haberet esse illi intimè præsens in casu existentie illius extra Mundum, & quæ non minus est suapte essentià vocatione Dei extra Mundum, quam esset vocatione extra Mundum ea, quam sibi inhærentem in eo casu haberet dictum ens. Igitur Deus modò actu est extra Mundum; tamen prædicto enti ex defectu eius modò non sit extra Mundum intimè præsens.

95 Confirmatur secundo. Quia, si Deus, ut potest, poneret duo entia intimè penetrata extra Mundum, ita vnumquodque esset alteri extra Mundum intimè præsens, ut casu, quòd deficeret quoduis eorum, adhuc permaneret residuum existens extra Mundum: eo quòd amborum extremorum vocationes suapte essentià essent vocationes extra Mundum. Sed si Deus, & aliud ens penetrarentur extra Mundum, ut etiam fieri potest, amborum extremorum vocationes essent quoque suapte essentià vocationes extra Mundum. Ergo ita tunc essent ambo extrema mutuò præsentia sibi extra Mundum, ut casu, quòd deficeret quoduis, adhuc permaneret residuum existens extra Mundum. Ast casus modò adest de facto: quia deest extremum alterum, & existit Deus cum eadem vocatione à se indistinctâ, quam haberet tunc. Ergo modò Deus extra Mundum de facto existens actu est.

96 Quarto probatur propositio. Quia si Deus non esset iam nunc actualiter præsens, seu vnicus extra Mundum, neque posset in vno euentu extra Mundum reddi præsens, & vnicus actualiter, quantumvis qualibet alia entia extra Mundum vnicarentur; proindeque neque esset inuentus. Quod est absurdum. Ergo Deus iam nunc est præsens, seu vnicus actualiter extra Mundum,

Consequentia est euidens. Et antecedens probatur. Quia si Deus iam nunc non esset vnicus actualiter extra Mundum, in nullo euentu posset talis reddi aut per vnicationem sibi intrinsecam, denuò acquiram; quia ut sic mutaretur localiter, & est localiter immutabilis iuxta fidem, & dicenda disput. 7. aut per positionem sibi extrinsecam alterius entis extra Mundum: quia hæc ad id sufficiens non esset absque intrinsecâ vnicatione, ut ex se, & ex dictis supra disput. 5, satis est notum. Ob id enim Terra non vnicata modo actualiter extra Mundum, neutiquam talis redderetur, quantumvis quoduis aliud ens extra Mundum vnicaretur, nisi per mutationem localem vnicationem sibi intrinsecam pariter extra Mundum acquireret, ut est potissimum.

Quinto probatur. Quia possibile citra dubium est, ut quoduis ens existens intra Mundum per aliam præsentiam sibi inhærentem, & suapte essentià distantem à præsentia, quam habet Mundus, extra Mundum actu vnicetur absque eo, quòd extra Mundum cum altero ente sit penetratus, aut ipsi quoquo modo præsens localiter. Imò corpus Christi domini de facto videtur ita se habere. Cum sit intra Mundum multis in locis in speciebus Eucharisticis, & simul supra extremam circumferentiam cœli Empyreæ, atque ita extra Mundum videatur esse iuxta illud Pauli ad Ephes. 4. *Qui ascendit super omnes cœlos.* Ergo etiam est possibile, ut Deus, præterquam quòd est intra Mundum per vnicationem à se indistinctam in omnibus ipsius partibus præsens localiter, extra Mundum itidem actu vnicatus sit absque eo, quòd extra Mundum cum alio quoquo modo præsens localiter. Ergo Deus ita de facto sese habet. Probo vtramque consequentiam. Quia huiusmodi genus vnicationis, seu præsentia actualis non solum intra, sed etiam extra Mundum extenta perfectio est sine imperfectione; atque adeò non solum possibilis Deo, sed ipsi necessariò actu conueniens est iuxta ea, quæ dicebamur quæst. 1. proposit. 3.

Et confirmari potest. Quia iuxta dicta, 98 etiam ibidem omnis perfectio conueniens Deo necessariò debet esse in suo genere infinita. Igitur vnicatio actualis Dei, cum sit perfectio conueniens ipsi, necessariò debet esse infinita in genere suo: (extensionis scilicet localis per sui correspondentiam ad omnes omnino partes spatij circumquaque infiniti, seu, quòd est idem, per sui replicationem in illis, iuxta definitionem datam supra disput. 5. quæst. 6. proposit. 7.). At talis non esset, sed vndequaque finita, si intra Mundi finiti terminos coarctaretur. Igitur extra Mundum in infinitum circumquaque debet esse extensa modo dicto actualiter. Igitur Deus per illam non solum intra Mundum, sed etiam extra cum infinitaque circumquaque huiusmodi generis extensione actualiter vnicatus, siue localiter præsens est. Ex quo patet, Deum extra Mundum, non vtrunque esse præsentem actu, sed infinite circumquaque per sui replicationem extensum, prout ex dicendis in sequentibus patebit amplius.

Sextò denique probatur, Quia ut apparebit ex dicendis proposit. 2. Deus necessariò est dicendus præsens actu in omnibus spatijs localibus, dictis imaginarijs, quæ circumquaque extra Mundum in infinitum porrigitur. Ergo necessariò est dicendus esse actualiter extra Mundum.

Pro-

Propositio 2.

100

Supposito modo loquendi sacre Scripturæ, & Patrum, atque etiam communi modo loquendi omnium necessariò dicendus est Deus esse actualiter præsens in spatijs localibus, quæ imaginaria dicuntur, & circumquaque in infinitum extra Mundum extensa sunt, qua ratione sunt.

Prior pars propositionis ostenditur. Quia supposito modo loquendi sacre Scripturæ, & Patrum necessariò dicendus est Deus esse præsens actualiter extra Mundum, quin sit actualiter præsens in spatijs localibus habentibus suum esse, quale quale est, extra Mundum. Ergo, supposito modo loquendi sacre Scripturæ, & Patrum, necessariò dicendus est Deus esse actualiter præsens in talibus spatijs localibus. Consequentia legitima est. Et maior haud dubie demonstrata propositi. Probo ergo minorem. Quia præsentia actualis cuiusvis entis extra Mundum planè est præsentia eius in aliquo distanti, aut saltem non penetrato localiter eum Mundo: quod enim est indistans, & penetratum localiter cum Mundo, nequaquam prout tale dici potest esse præsens actualiter extra Mundum, ut est manifestum. Sed nihil aliud est distans, & non penetratum localiter cum Mundo, præter dicta spatia localia, ut constat. Ergo nullum ens, atque, adeò neque Deus dici cum veritate potest esse præsens actualiter extra Mundum, nisi in dictis spatijs localibus præsens actualiter sit. Quod erat probandum.

101

Dicunt Auctores tertie sententiæ relæ num. 88. Deum quidem esse actualiter extra Mundum; non tamen in alio quopiam à se, & à Mundo distincto, sed tantum in se ipso. Contra tamen est, Quia, cum Deus, & Mundus per se præcisè constituent Deum penetratum cum Mundo, impossibile planè est, ut Deus & Mundus per se præcisè constituent Deum impenetratum cum Mundo, prout requiritur ad hoc complexum, *Deus est extra Mundum*, ut constat. Requiritur ergo tertium aliquod impenetratum cum Mundo, atque adeò distinctum à Deo, & à Mundo, à quo Deus prout in ipso existens fortitur, esse impenetratum cum Mundo, & consequenter esse extra Mundum. Hoc autem aliud esse non potest ab spatio locali dicto imaginario habente suum esse impenetratum cum Mundo, atque adeò extra Mundum. Vel aliter. Esse Deum extra Mundum dicit distanciam Dei à Mundo. Sed Deus per se non est distans à Mundo; cum per se sit intra Mundum. Ergo solum est distans à Mundo, atque ita extra Mundum, prout existens in aliquo tertio distante à Mundo; atque ita habente suum esse extra Mundum: quale dumtaxat est spatium locale prædictum, ut constat. Vel iterum. Hoc, quod est, esse Deum extra Mundum, præter entitatem diuinam, aliquid aliud importat in suo conceptu reali. Sed hoc non est Mundus. Ergo est spatium locale habens suum quale quale esse extra Mundum. Ergo Deus in tali spatio locali actualiter præsens est. Maior syllogismi certa est: quia, si hoc, quod est, esse Deum extra Mundum, solam diuinam entitatem reipsà importa-

ret, verissimum esset, Deum, quatenus est intra Mundum, esse extra Mundum; (quod apertè est absurdum); siquidem verissimum est, Deum, quatenus est intra Mundum, suam secum entitatem habere. Minor etiam est certa: quia, cum ex entitate Dei, & ex Mundo coalescat reipsà hoc, quod est, Deum esse intra Mundum, ut est notissimum; compertum est, non posse ex eisdem coalescere hoc, quod est, Deum esse extra Mundum: alioquin esse intra Mundum, & esse extra Mundum, vnum, & idem prædicatum esset reipsà; terraque subinde verè diceretur esse extra Mundum hoc ipso, quod verè dicitur esse intra Mundum. Quod est clarius absurdum. Consequentiam autem priorè argumenti facti esse bonam, non minus est certum: cum constet præter Deum, Mundum, & prædictum spatium locale, nihil aliud ad rem excogitabile superesse. Ex quibus iam facilè demonstranda venit consequentia posterior. Nam posito, quòd, Deum esse extra Mundum, importat reipsà Deum, & spatium locale, quod est extra Mundum, æquè, ac, Deum esse intra Mundum, importat Deum, & Mundum; manifestè consequitur, in idem recidere, esse Deum extra Mundum, & esse in tali spatio præsentem actu, æquè, ac in idem recidit, esse Deum intra Mundum, & esse præsentem actu in Mundo.

102

Deinde eadem pars propositionis probatur. Quia, ut Deus cum veritate dicatur (prout debet secundum Scripturam, & Patres) esse præsens actualiter non solum intra Mundum, sed etiam extra, maiore extensionem localem, quam Mundus habet, debet actualiter habere, ut est notum. Siquidem, quod non extenditur actu ultra Mundum, sed intra ipsum dumtaxat est actu extensum æqualem cum ipso extensionem localem habens, nullatenus potest dici verè esse actu extra Mundum, ut constat. Sed Deus à se ipso præcisè nullam extensionem localem habere potest; cum sit omnino indiuisibilis, atque adeò partibus extensionis localis penitus expers; dumtaxatque subinde potest localiter esse extensus prout localiter replicatus, seu repetitus quoad se totum in omnibus, & singulis partibus alicuius extensionis localis, prout illius præsentia localiter correspondens, ut latius quæst. 6. explicabimus. Ergo ab aliqua extensione locali composita ex partibus habentibus suum esse extra Mundum debet Deus per sui totius localem correspondentiam cum illis extensionem extra Mundum sortiri, ut magis extensus localiter, quam Mundus euadat; sicque cum veritate dicatur actualiter præsens non solum intra Mundum, sed etiam extra. Talis autem extensio extra Mundum sola est extensio spatij localis imaginarij nuncupati, ut est notum.

103

Dicent Aduersarij. Ab extensione virtuali, quam Deus à se indistinctam habet, dici eum cum veritate posse, esse actualiter extra Mundum, independentè ab omni spatio locali extra Mundum ipsum habente aliquod esse. Sed contra est. Quia à sola extensione virtuali, quam Deus à se indistinctam habet neque aliud est reipsà à virtute, siue potentià, quam habet, ut extendatur infinite circumquaque actualiter, prout exponemus quæst. 6. ut nequit Deus cum veritate dici actualiter extensus, sed tantum extensus virtualiter, seu potius extendibilis infinite, ut satis ex se apparet; ita nequit cum veritate

tate

tate dici præfens actualiter extra Mundum, sed tantum virtualiter, siue potestatiue; donec per sui localem replicationem, atque præfentiam, in partibus spatij prædicti habentis extra Mundum esse extensus actu in spatio ipso prout in ipso actualiter concipiatur, De quo vide plura dicenda quæst. 6. citata.

104 Præterea probatur eadem pars. Quia, cum dicitur Deus esse extra Mundum, aliquid significatur per particulam *extra* distinctum reipsa tum à Mundo, tum à Deo: nam alias, Deum esse extra Mundum, idem sibi vellet, ac, Deum esse in Mundo, aut, esse in se ipso. Quod utrumque est falsum, ut ex se patet. Aliud autem excogitabile non est, quod dicta particula significet à Deo, & à Mundo distinctum reipsa, præter spatium locale extensum infinite extra Mundum. Et confirmari potest. Quia, Deum esse extra Mundum, & Deum esse, ubi non est Mundus, synonyma reputantur iuxta communem loquendi morem. At particula *ubi* tum alias passim, tum maxime hic spatium locale, quod imaginarium dicunt, significat, ut etiam ex usu loquendi constat. Ergo eo ipso, quod est verum, Deum esse extra Mundum, necessario est quoque verum, Deum esse in prædicto spatio locali.

105 Iam posterior pars propositionis probatur. Quia quæcunque sunt vbicata realiter, (sunt autem talia necessario omnia entia existentia iuxta doctrinam statutam disput. 5. quæst. 8.) secundum communem modum nostrum concipiendi, & loquendi non solum dicuntur esse in loco extrinseco reali, intra cuius ambitum clauduntur, sed etiam in spatio locali, cui correspondent, siue cum quo penetrantur, quod locum imaginarium vocamus iuxta dicta de huiusmodi locis disput. 5. quæst. 3. Ergo Deus, qui ratione suæ immensitatis realiter est vbicatus vbique, prout statutum est ex fide quæst. 1. non solum in locis, & rebus realiter existentibus, sed etiam in spatijs localibus, siue locis imaginarijs omni alia re vacuis dicendus est esse. Consequentia est bona. Quia de Deo, quod ad rem attinet, eodem pacto, ac de alijs rebus vbicatis censendum, ac loquendum est ob eandem rationem, imo ob potiore in Deo repperam, prout explicabo postmodum. Antecedens autem ostenditur primo. Quia vel de rebus in locis realibus, & sibi extrinsecis conclusis, potius eas in spatijs localibus, siue locis imaginarijs, quibus correspondent, quam in ipsis locis extrinsecis, à quibus ambiuntur, dicimus esse. Propterea enim de turri fixa supra montem dicimus, in eodem loco semper permanere; tamen si sciamus, externas superficies aeris ipsam ambientis singulis momentis variari. Idemque haud dubie diceremus, etiam si, corrupto à Deo omni corpore, atque adeo omni loco reali extrinseco circumdante turrim, ipsa cum eadem præfentia sibi inhaerente in eodem spatio permaneret. Neque putandum est, hunc modum concipiendi, & loquendi nostrum per se fundari in identitate numerica præfentia sibi intrinseca, quam turris semper retinet; non enim fundatur per se nisi in identitate spatij localis, seu loci imaginarij. Tum quia neque turris in sua intrinseca præfentia, neque ipsa præfentia in se dicuntur esse seu permanere: cum tamen tam præfentia, quam turris in eodem loco, in eodemque spatio locali esse seu permanere dicantur.

Tum quia, licet Deus singulis momentis variaret præfentias numericas turris intra idem spatium locale, nosque id sciremus, adhuc censeremus, diceremusque proculdubio, turrim in eodem loco permanere, eandemque cum quavis alia re in alio spatio vbicata retinere distantiam. Propterea multi ex Philosophis antiquioribus non ultimam superficiem corporis ambientis, ut Aristoteles, sed ipsum spatium locale, cum quo vnaquæque res penetratur, locum dicendum esse censuerunt, in quo res ipsa vbicata, seu collocata est, ut supra disput. 5. quæst. 3. notabamus. Secundo idem antecedens ostenditur, Quia si Deus alium Mundum distantem ab isto produceret, ille vtrique in spatio locali, siue in loco tantam ab isto Mundo distantiam habente esse absque dubio diceretur; quantumvis à nullo alio reali corpore circumambiretur extrinsece. Similiter si Deus, corruptis omnibus corporibus, quæ modò capit superficies concava Firmamenti, poneret in medio vacui relicti quodlibet ens conferendo illi præfentiam suapte essentia correspondentem tali medio, ex eo quoque subinde à dicta circumferentia distantem: tale ens protectò in medio talis spatij vacui diceretur existere, atque etiam collocatum, siue vbicatum esse. Quod si per dictum spatium vacuum à Deo moueretur, ut planè postea, non solum præfentias sibi inhaerentes, sed etiam loca, siue localia spatia diceretur successivè mutare, in illisque subinde successivè esse, siue præfentiam habere, siue esse præfens. Itaque quodvis ens seu corporeum, seu spirituale vbicatum, hoc est habens intrinsecam aliquam præfentiam localem, in eo spatio locali, in eo ve loco imaginario iuxta communem concipiendi, loquendique morem dicitur esse, cui talis præfentia correspondet suapte natura, iuxta doctrinam de huiusmodi præfentis, & spatijs late traditam supra disput. 5. Idque siue tale ens ab alio ente tanquam à loco reali extrinseco circumdatum sit, siue secus. Quemadmodum quodvis ens existens in eo tempore imaginario dicitur esse, cui correspondet eius duratio, & si nullum adsit tempus reale, cui correspondeat. Quo pacto in tempore dicitur Mundus fuisse creatus iuxta illud Genesis 1. *In principio creavit Deus caelum, & terram*: tamen si nullum esset tempus reale, quando creatus fuit. Cum igitur Deus titulo immensi præfentiam localem à se realiter indistinctam habeat suapte natura correspondentem omnibus omnino spatijs localibus, siue locis imaginarijs circumquaque infinite extensis, in omnibus illis pariter esse, existere, siue esse præfens consequenter dicendus est.

Id quod inde insuper confirmatur. Quia, si Deus alium Mundum distantem ab isto produceret, necessario titulo suæ immensitatis esset actu præfens vtrique, ut est certissimum. Igitur & in spatio vacuo inter medio esset actu præfens. Nam alias præfentia eius actualis interrupta esset; ac in duas partes divisa. Quod videtur absurdum. In omni igitur spatio locali, quantumvis omni re vacuo, actu præfens dicendus est.

Ratio autem huius nostræ conceptionis, & loquutionis est. Quia ex vna parte spatium locale nuncupatum imaginarium non est metum nihil, sed est possibilitas, subindeque capacitas quadam realis (non quidem realitate existentia, sed

sed realitate essentia præsentiarum realium iuxta doctrinam statutam suppositione secundâ. Eandemque propterea compositionem ex partibus extensionis localis habet, eademque partium distantias, atque propinquitates in suo esse quiditativo; quas in existentiâ, si existerent, haberent ipsæ præsentia, siue vna ex omnibus composita, cuius illud vera, & realis possibilitas est. Ex aliâ verò parte id, quod spatium locale in se quiditatiuè est, à nobis concipitur ad instar cuiusdam actualis extensionis, seu magnitudinis ab omni ente penetrabilis, atque ita veluti quoddam receptaculum omnium entium. Quo fit, vt cum fundamento in re iure optimo de quolibet ente dicamus in huiusmodi spatio esse. Et pro diuersitate præsentia, quam vnumquodque ens sortitur, dicamus esse illud præsens in ipsius spatij parte diuersâ. Sicut è contra, quando præsentia plurimum entium sunt eiusdem rationis, quod attinet ad distantiam cum cæteris omnibus, quam fundant, in eadem parte spatij talia entia cum suis præsentia dicimus penetrata esse. Quo loquendi modo nihil aliud significare intendimus ab eo, quod re ipsa est. Nimirum præsentiam, per quam vnumquodque ens dicitur esse in tali, vel in tali parte spatij localis, eiusdem rationis esse cum eâ præsentia possibili; in cuius possibilitate, seu quiditate ea pars spatij consistit, quod attinet ad distantiam à cæteris, quam amba fundant suapte essentia; ita, quòd, si amba simul existerent, non possent non inter se localiter penetrata existere; de factoque existentia vnius eatenus consecratur penetrata cum possibilitate, seu quiditate alterius, (sicque cum spatio per eam constituto), quatenus hæc nullatenus alibi, quam intra illam existere potest. Recognosce cætera dicta supra disput. 5. quæst. 2. de naturâ spatij localis.

108 Ex hisque infer primò, quæstionem de existentia rerum in spatijs imaginarijs non de meo modo loquendi, sed de re ipsâ esse inter eos, qui putant spatia imaginaria nullum fundamentum reale habere, sed re ipsâ penitus esse nihil, & eos qui nobiscum consentent, habere illa veritatem obiectiuam realem, non quidem existentialem, sed quiditatiuam. Hoc enim dissidium, in quo fundatur dissidium dictæ quæstionis, de re ipsâ est, vt ex se patet. Apud consentientes autem spatium imaginarium reuera consistere in possibilitate reali præsentiarum, siue vnius præsentia totalis compositæ ex partibus extensionis localis, quarum alia sint extra alias, diuersasque proinde fundent distantias locales suapte essentia, ne de modo quidem loquendi videtur posse esse dissidium. Quia omnes tenentur fateri, præsentiam vnius cuiusque entis existentis alicui parti spatij localis correspondere modo dicto penetratiuè suapte essentia. Quo posito tanquam certo in tali sententiâ de ipsâ re, nemo videtur negare, posse congruenter, & consentaneè ad nostrum modum concipiendi, dici vnumquodque ens in eâ parte spatij localis, cui sic correspondet, existere, siue præsens esse.

109 Secundò infer, circa quæstionem de existentia Dei in spatijs imaginarijs speciale quoddam dissidium posse esse de re ipsâ, non solum inter dissentientes, sed etiam inter consentientes super quiditate talium spatiorum. Supposito enim, quòd entia creata, etiam spiritalia vt Angeli, sint vbicata per præsentias diuisibiles quoad extensionem, dicere quis de illis posset, neque vllis spatijs localibus ab omni re existente distinctis corre-

spondere, neque in eis esse re ipsâ, sed à suis præsentia intrinsecis præcisè, & absque vllâ comparatione ad talia spatia habere esse extensa localiter, aut circumscriptiuè, aut definitiuè, & esse inter se vel distantia tantum, aut tantum, vel contigua, vel penetrata, iuxta dicta de his differentia præsentiarum disput. 5. quæst. 3. & 4. De Deo tamen sine comparatione ad spatia localia, vbi non sunt alia entia existentia, ad quæ comparatur, dici non potest esse localiter extensum adhuc definitiuè à suâ intrinsecâ præsentia præcisè, neque esse prout sub vna parte suæ præsentia distantem à se prout sub alterâ; (vt est Angelus, suppositâ diuisibilitate extensua præsentia definitiuè eius); eo quòd præsentia intrinseca Dei, vt pote ab ipso realiter indistincta, indiuisibilis est omnino, neque vllas partes habet. Quo fit, vt nequeat dici Deus ab illâ præcisè euadere infinite extensus localiter, nisi ad infinitas partes extensionis spatij localis comparatur, ab eisque semiextrinsecè prout in ipsis omnibus præsens euadere infinite extensus dicatur. Quo circa, qui dixerit, Deum à solâ suâ intrinsecâ immensitate prætextu alicuius virtualis extensionis eius euadere infinite extensum localiter independentem ab existentia, siue præsentia sui in partibus infinitis spatij localis, & fallum dicet, vt ostendimus quæst. 6. & de re dissentiet à dicente, Deum prout existentem, & præsentem in dictis partibus infinitis spatij localis euadere infinite extensum localiter; neque aliter posse talem euadere.

Vnde infer tertio, tantum ab esse, vt Deus 110 dicendus non sit præsens in spatijs localibus, siue locis imaginarijs, quòd potius necessariò in illis dicendus sit præsens ad hoc, vt cum veritate dicatur esse præsens vbique, non solum intra Mundum, sed etiam extra, prout dici debet iuxta Scripturam sacram, & Patres, vt proposuit. 1. monstratum est. Atque etiam ad hoc, vt cum veritate dicatur esse de facto circumquaque infinite extensus, prout etiam debet dici haud dubie iuxta modum loquendi, quem sæpe habent sacra Scriptura, & Patres de magnitudine infinita immensitatis eius. Quæ omnia luculentiora fient ex dicendis quæst. 6. Et hæc satis pro probatione propositionis datæ.

Restat vt argumenta disuamus, quæ contra 111 illam solent opponi. Primò enim opponuntur aliqui Patres dicentes, Deum, antequam creasset Mundum, nullibi fuisse, præterquam in se ipso. Ita expressè Tertull. lib. aduersus Praxeam. cap. 5. initio, August. in id Psal. 122. *Qui habitas in celo*, Bernard. lib. 5. de considerat. aliquantò ante medium, & Alcuin. lib. 2. de Trinit. cap. 5. post medium, (habetur tom. 3. Biblioth. Patrum). Ergo Deus dici non potest esse in spatijs localibus, siue locis imaginarijs, ad quæ utique ante Mundum conditum eodem modo, atque nunc se habebat. Nego consequentiam. Quia dicti Patres tantum intendunt, sufficienter extitisse Deum in se ipso ante Mundum conditum, absque existentia in aliquo loco reali, non curantes de existentia eius in locis imaginarijs. Disputabant enim contra adstruentes Mundum creatum ab æterno; quòd, Deum absque omni loco reali non posse existere, somniabant. Et quidem, cum plures Patres, è quibus sunt ipsi Tertull. & August. quandoque negent absolute, vt videbimus quæst. 6. Deum adhuc post Mundum conditum in loco esse (scilicet ipsum circumscribente)

bente) non curantes pro tunc de existentia, quam ipse iuxta fidem habet in rebus. Quid mirum, quod predicti quandoque etiam negent, Deum ante Mundum conditum alicubi, quam in se ipso, fuisse (scilicet tanquam in loco reali) in ea occasione non curantes de ipsius existentia in locis imaginariis? Porro August. verbis relatis supra num. 90. ex lib. 11. de Civit. cap. 7. expressè pro nobis stare videtur, sicut & Hugo Victorin in Sum. sent. tract. 1. cap. 4. post medium dicens, *Ita Deus, cum ante quam creatura vlla esset, ubi que foret, ibidem erat, ubi illa facta est.* Et S. Th. quodl. 11. quest. 1. art. 1. dum ait, *Deus non solum est in illis, quæ sunt, fuerunt, & erunt; sed etiam in illis, quæ possunt imaginari.* Et paulo post, *Deus est non solum in his, quæ sunt, sed etiam in imaginariis.*

112 Secundo obijcitur Aristot. qui lib. 4. Phys. text. 46. ait, *Vniuersum non esse alicubi; quod enim alicubi est, & ipsum aliquid est, & aliud quid, in quo continetur oportet esse. At extra vniuersum, & totum nihil est.* Quibus docere videtur in spatio locali imaginario nulium ens esse posse. Respondeo Aristot. solum hic velle, Vniuersum non esse alicubi tanquam in loco reali extrinseco ipsum circumambiente, oportereque, ut, quod alicubi ita est, in aliquo alio ente realiter existente, à quo circumcontineatur, sit. Ceteroquin posse quidpiam esse vbiatum in spatio locali aliter, quam ut in loco reali extrinseco, quin ibi ab illo alio ente existente circumcontineatur, non negatur ab Aristot. Siquidem ipsemet lib. 1. de Cælo text. 100. postquam dixisset supra extimam superficiem cæli nullum esse corpus, ibi nihilominus dicit esse intelligentias immutabiles, non tamen ut in loco (scilicet extrinseco circumambiente). *Quapropter, inquit, neque, quæ illis sunt, nata sunt esse in loco, neque vlla transmutatio vllius eorum est, quæ super extimam disposita sunt latrone.* Et lib. 4. Phys. text. 1. ait, *Quæ sunt, omnes existimant, alicubi esse.* Quasi sentiat cum omnibus, quæcumque existunt, alicubi necessariò habere præsentiam localem intrinsecam; siue à loco extrinseco insuper contineantur, siue secus. Quo iure dixit Hugo Victorin lib. 1. de Sacram. par. 2. cap. 17. post medium, *Quod nusquam est, ipsum omnino nihil est.* Et nos supra disput. 5. quest. 8. probauimus, repugnare, ut existat aliquid, & non sit alicubi præsens. Porro Deum absque vilo sine circumquaque esse extensum per infinitum circumquaque spatium locale bene significauit ductus solo rationis lumine Trismegistus apud Alentem, 1. par. quest. 5. mem. 3. cum illud pronunciauit celebre effatum. *Deus est circulus, cuius centrum vbiq; est, & circumferentia nusquam.*

113 Tertio obijcitur à ratione, Spatium, quod extra cælum imaginamur, prorsus est nihil in se, & reipsa. Sed Deus in eo, quod reipsa est nihil, dici non potest cum veritate reipsa esse. Ergo neque dici cum veritate potest Deus esse reipsa in spatio, quod extra cælum imaginamur. Distinguo maiorem, Spatium, quod extra cælum imaginamur prorsus est nihil in se, & reipsa, actualiter siue existentialiter; concedo; possibiliter, siue quiditatiuè; nego. Deinde distinguo minorem. Sed Deus in eo, quod reipsa est nihil, dici non potest cum veritate reipsa esse, quando omnimodis est reipsa nihil; concedo; quando, et si sit nihil existentialiter, est tamen aliquid reipsa quiditatiuè, & possibiliter; nego.

Et nego consequentiam. Itaque, ut Deus conparetur ad aliud quidpiam, tanquam ad connotatum, ab eoque, & simul à sua intrinseca essentia aliquam veram, & realem denominationem sortiatur semiextrinsecè, (qualis est denominatio præsentis actu in spatio locali), fat est, quod illud aliquam veritatem realem habeat, et si ea non existentialis, sed merè quiditatiua, siue ad solum statum rerum quiditatiuum spectans sit, iuxta dicta de rerum statibus in Pharo Scient. disput. 10. Talis autem est veritas, quam de suo reipsa habet spatium locale.

Sed rursus contra hanc doctrinam adhuc 114 argumentum vergeri potest. Id, quod reipsa, & independentè à conceptione nostrâ dici verè spatium locale, non est aliquid actuale, sed aliquid purè possibile. Ergo Deus respectiuè ad illud, atque adeò semiextrinsecè non potest denominari actualiter in illo præsens reipsa, sed tantum possibiliter. Consequentia probatur. Quia cum omnis denominatio semiextrinseca vera, & realis aliud non sit à parte rei, quam totum, quoddam coalescens ex omnibus fundamentis realibus, à quibus desumitur; & totum nequeat esse actuale, cuius vel vnica pars est tantum possibile; non videtur posse cum veritate Deus dici actualiter præsens in spatio locali per denominationem complectentem in suo conceptu reali ipsum spatium locale, supposito quod hoc consistit reipsa in quadam veritate quiditatiua merè possibili. Respondeo ex vniuersali doctrinâ tradita in Pharo Scient. disput. 9. quest. 4. Quoties essentia composita est talis per accidens, dicens videlicet vniam ex suis partibus in recto, siue directè, & aliam in obliquo, siue de connotato, qualis est in suo reali conceptu omnis semiextrinseca denominatio, in eo statu, seu quouis tertio dici eam esse absolute, in quo est pars eius directâ, etiam si obliqua sit in alio: quia sensus est partem directam esse in tali tertio obliquâ connotatâ in suo. Quod est verissimum, quando pars directâ vere est in tali tertio, in quo adstruitur, & obliqua verè etiam est in suo, in quo connotatur. Sic dies hodiernus de præsentia dicitur absolute, & verè esse prior, quam crastinus; tamen denominatio prioris de connotato includat reipsa crastinum diem, qui non est præsens, sed futurus. Sic absolute, & verè dicitur hodie Petrus esse maritus Mariæ; tamen denominatio mariti in suo conceptu reali includat de connotato contractum matrimonij præteritum, qui iam hodie non est. Sic Ioannes existens Mariti dominus esse Mariti dicitur mancipij existentis Toleti; tamen in denominatione domini ipsum mancipium de connotato reipsa includatur. Sic Deus absolute, & verè dicitur esse iam nunc punctualiter potens, & liber ad producendas creaturas purè possibles; tamen hæc denominationes in suo conceptu reali inuoluant de connotato ipsas creaturas, quæ non sunt aliquid actuale. Aliaque huiusmodi sunt sexcenta. Sic igitur Deus absolute, & verè dicitur esse iam nunc actualiter præsens spatio locali, de quo agimus, siue actu existens in ipso; tamen tale spatium in talibus denominationibus de connotato inclusum reipsa non sit aliquid actu existens, sed aliquid tantum possibile. Recognoscatur doctrinâ hæc tradita latius loco citato.

Denique obijciunt aliqui, Deus constituitur præsens localiter per operationem ad extra, 115
Sed

Sed in spatijs imaginarijs nihil ad extra operatur. Ergo in illis prærens non est. Nego maiorem. Quia nullum ens constituitur prærens localiter per operationem, ut constat ex vniuersali doctrinâ de prærentijs localibus traditâ supra disput. 5. Deumque per operationem speciatim non constitui prærentem ostenditur quæst. 6. Ex quibus omnibus facillè ab vnoquoque diluenda venient cætera, si quæ opponantur contra nostram propositionem.

QVÆSTIO VI.

In quo consistat, & per quid constituatur immensitas, atque vbiq̄tas, siue præsentia vbiq̄ue Dei.

116 **M**ulti Theologi immensitatem Dei ab eius vbiq̄tate, siue prærentiâ vbiq̄ue distinguunt; consentes, immensitatem prædicatum esse omnino intrinsecum Deo, vbiq̄tatem verò, siue prærentiam Dei vbiq̄ue aliquid Deo extrinsecum addere. Aliqui verò immensitatem Dei, & eius vbiq̄tatem, siue prærentiam vbiq̄ue pro eodem vsurpant. In eoque subinde conspirare videntur, ut immensitas idem supra entitatem Dei extrinsecum addat, quod addit vbiq̄tatis, siue prærentiâ Dei vbiq̄ue.

117 Porro Aureol. in 1. distinct. 37. quæst. vnic. artic. 1. putat, prærentiam Dei vbiq̄ue formaliter, & vltimatè constitui per aliquid negatiuum. Consistere enim formaliter in indistantiâ Dei à loco, siue à rebus, quibus prærens dicitur, quæ pro formali importat negationem distantiam. Gilli. verò lib. 2. de Deo tract. 9. cap. 8. Fasol. 1. par. quæst. 8. artic. 1. dub. 5. & Smising. tract. 2. de Deo vno disput. 5. quæst. 1. num. 6. etsi in conceptu prærentiâ Dei vbiq̄ue includant dictam negationem distantiam, dicunt tamen, non per illam, sed per relationem positiuam similitatis cum creaturis constitui vltimò prærentiam Dei in illis, quam vocant relationem rationis.

118 Alij prærentiam Dei in rebus in operatione, qua Deus in illis operatur, dicunt consistere. Quæ sententia tribuitur S. Tho. in 1. distinct. 37. quæst. 1. artic. 2. & quæst. 2. artic. 1. & 3. & lib. 3. contra Gent. cap. 68. & 1. par. quæst. 8. artic. 1. & 2. Etque plurimum Thomistarum, qui relati apud Gilli. videri possunt lib. 2. de Deo tract. 9. cap. 10. & apud Fasol. 1. par. quæst. 8. artic. 1. dub. 5.

119 Alij denique prærentiam Dei vbiq̄ue in denominatione quadam semiextrinsecâ consistere dicunt coalescente reipsâ ex entitate Dei, ex rebusque, aut etiam spatijs localibus, quibus Deus dicitur esse prærens. Ita Recupit. lib. 4. de Deo quæst. 11. referens pro hac sententiâ Egid. Marf. Alens. & Bonau. Pro qua etiam stant in re Vazq. 1. par. quæst. 8. circa artic. 4. Ribas tom. 1. Sum. theolog. tract. 2. disput. 4. cap. 6. & plures alij.

120 Iam verò ex his, qui immensitatem ponunt adæquatè intrinsecam Deo, alij consent, consistere eam in quantitate, siue extensione virtuali, quam dicunt Deum secum identificatam, &

habere, à qua habet, posse, imo & debere, necessariò esse prærens omnibus locis, ac rebus extensis localiter; sicut corpora id ipsum habent à sua quantitate formali. Ita Gilli. supra cap. 9. Fasol. dub. 6. Martinon disput. 5. de Deo sect. 3. Ribas loco citato, & plures alij. Quorum plerique quantitatem, siue extensionem virtuales appellat illud Dei prædicatum, quod, cum in se sit quadam formalitas simplex, non solum, realiter, sed etiam formaliter ratione nostrâ, & virtualiter in se, eo solum nomine quantitas, siue extensio virtualis Dei nuncupatur, quatenus Deus ab eo potens, atque necessitatus euadit ad essendum intimè prærens omnibus rebus, & spatijs localiter. Qui sanè in re non dissentiant à Soar. disput. 30. Metaph. sect. 7. à num. 44. Raynand. in Theolog. natur. distinct. 7. quæst. 1. num. 84. Recupit. vbi supra, & alijs de immensitate Dei intrinsecâ perinde philosophantibus, atque de prærentiâ positiuâ intrinsecâ rebus creatis, nisi quod hæc, utpotè diuisibilis, per suarum partium localem distributionem ponit suum subiectum (esto sit illud indiuisibile ut Angelus) in diuersis partibus spatijs localis, illa verò, utpotè indiuisibilis, non itidem, sed per sui totius replicationem, ut expressit Martin. disput. 5. de Deo citatâ, sect. 5. Nonnulli verò præsertim Recentiores, quibus consentire videntur Ribas vbi supra, & Carleton disput. 13. Phys. sect. 6. num. 6. longè aliter philosophantur de extensione Dei virtuali. Putant enim, consistere eam in prædicato Dei ex tot formalitatibus virtualiter inter se distinctis composito, quot sunt partes spatijs localis infiniti circumquaque, cui Deus prærens est; per quarum vnamquamque seorsim in vnaquaque parte spatijs, non item in reliquis, dicunt Deum reddi prærentem reipsâ, & formaliter. Itaque dicunt, non à formalitate sibi intrinsecâ, à qua Deus habet esse prærentem Romæ, habere etiam esse prærentem Martiri, sed ab aliâ distinctâ ab illâ virtualiter. Aqua, inquirunt, distinctione virtuali nascitur, ut de duabus formalitatibus Dei realiter identificatis duo prædicata ex se contradictoria possint sine repugnantia verificari; nempe de vnâ, esse prærentem Romæ, de alterâ, non esse prærentem Romæ; de hac esse prærentem Martiri, de illâ non esse prærentem Martiri, iuxta modum philosophandi de formalitatibus Dei virtualiter inter se distinctis circa mysterium Trinitatis. De quo nos latè in Pharo Scient. disput. 13. quæst. 5. & 7.

121 Porro omnes Theologi commemorati communiter aut expriment, aut supponunt, immensitatem Dei quouis ex prædictis modis acceptam attributum ipsius Dei esse ab alijs omnibus diuersum, qua ratione diuina attributa inter se diuersificantur, vno dumtaxat (quod sciam) excepto Smising. asserente vbi supra, immensitatem Dei quoad intrinsecum cum diuinâ immutabilitate, atque infinitate conincidere, diuersumque ab his duobus attributum non esse quoad intrinsecum.

Propositio I.

Arbitror immensitatem Dei ab ipsius Dei vbiq̄tate, siue prærentiâ vbiq̄ue quaquam distingui iuxta communem modum

A A dum

dum concipiendi, loquendique de hoc attributo, non solum à vulgo, sed etiam à Patribus, Theologisque antiquioribus usurpatum, Tametsi ex modernioribus multi aliud nomine immensitatis, aliud nomine vbiuitatis, siue presentie vbiue censeant intelligendum. Dissidium tamen pure est de modo loquendi.

Hæc pars posterior propositionis certa est. Quia, cum apud omnes sit in confesso, nomine vbiuitatis, siue presentie Dei vbiue significari conceptum obiectiuum complectentem non solum intrinsecam Dei entitatem, siue formalitatem, sed insuper illud extrinsecum, cui Deus actualiter presentis dicitur esse, siue illud sit solus Mundus existens cum omnibus suis creaturis, vt aliqui putant, siue sit insuper spatium locale extra Mundum circumquaque infinite extensum, vt censent alij; compertum est, questionem, siue dissidium esse dumtaxat de modo loquendi, an nomine immensitatis idem omnino conceptus obiectiuus significandus sit, an potius sola entitas, siue formalitas Dei inclusa in illo.

323 Quod autem idem omnino conceptus obiectiuus significetur de facto nomine immensitatis iuxta communem concipiendi, loquendique modum, non solum vulgi, sed etiam Patrum, & Theologorum antiquiorum, quæ est prior propositionis pars, ex ipsa etymologia nominis videtur imprimis inferri: nam immensurabilitas, quam præferunt, ideo Deo attribuitur; quia concipitur adeo extensus, vt immensurabilis censeatur, vt sicque propterea immensus quasi immensurabilis dicitur. Huiusmodi autem extensionem non habet entitas Dei per se præcisè, vt pote omnino indiuisibilis, sed prout presentis per sui que totius replicationem, ac velut repetitionem extensa in spatio extenso, vt pote ex partibus diuersis extensionis composito.

324 Deinde idem ipsum ex eo colligitur, quod Patres Deum prout immensum sæpe sæpius magnum appellant, magnitudine scilicet propria, formali, & extensua localiter, qualis ei conuenit specialiter titulo immensi, & quam prout in se præcisè non habet actu, sed prout presentis actu in magno, seu valde, aut etiam infinite extenso spatio locali. Audiamus aliquot eorum testimonia. Dionys, cap. 9. de diuinis nomin. ait, *Magnum Deus nominatur secundum magnitudinem ipsius, quæ extra omnem magnitudinem & superfusa, & superextensa omnem locum continet.* Origen, lib. 1. in Iob. super illud, *Factum est quasi dies, &c. Cuncta, inquit, eius continet magnitudo.* Athanas, contra Gregales Sabellij multo post medium, ait, *Ne inquiras magnitudinem loci tam spatiosam, quæ capere possit Dei magnitudinem: non enim id, quod immensurabile est, in mensurato contineri poterit.* Ambros, lib. 2. in Lucam ad illud cap. 1. *Hic erit magnus, Bene, inquit, magnus; late enim funditur Dei virtus: late celestis substantia magnitudo porrigitur.* Chrysost, in illud Psal. 9. *Qui habitat in Sion, ait, Habitationem hic dicit, non loco circumcludi: est enim infinita eius magnitudo.* Auctor libri de Speculo apud Augult. tom. 9. cap. 22. ea habet verba, quæ usurpat etiam Isidor, lib. 1. sentent. de sum. bon. cap. 2. §. 3. *Immensitas diuina magnitudinis tue ita est, vt intelligamus te intra omnia, sed non inclusum, extra omnia, sed non exclusum.* Quæ sententia legitur etiam in Augult, lib.

de essentia diuinitatis initio, vbi item habetur, *Immensus est Deus: quæ quantitas eius à nullâ ex creaturis metiri potest.* Gregor, lib. 2. Moral. cap. 8. initio dicit, *Deum esse exteriorem cunctis rebus per magnitudinem.* Similiaque habent Hieron. in Isaia 66. paulo post principium, Rupeff, lib. 7. in Genes. cap. 23. Alcuin lib. 2. de Trinit. cap. 4. & alij, Faciuntque ea omnia loca sacra Scripturæ, quæ Deum magnum prædicant à magnitudine, quæ illi conuenit ratione immensitatis.

Præterea idem ipsum ex inde veluti à priori probatur. Quia immensitas Dei ex genere eorum attributorum est, quæ semiextrinseca nuncupamus iuxta doctrinam vniuersalem de differentiis attributorum supra disput. 2. traditam; in suoque proinde conceptu reali, præter formalitatem Dei intrinsecam, illud extrinsecum inuoluit de connotato, respectiue ad quod à nobis concipitur, etiam prout nomine immensitatis significatur. Quemadmodum attributum omnipotentis, prout significatur hoc nomine, ex eodem genere est, vt supra disput. 4. quæst. 2. tetigimus, & fusius ostendemus suo loco. Sicut enim Deus non diceretur simpliciter, & absolute omnipotens, seu, quod idem est, omnia potens casu, quod, permanente Deo, omnia ipsa desinerent possibilia esse; indeque inferimus euidenter, in conceptu reali omnipotentis, atque adeo etiam omnipotentis ipsorum omnium possibilitatem de connotato includi. Ita quoque non diceretur Deus simpliciter, & absolute immensus casu, quod actualiter non esset vbiue: eo quod, ipso permanente, nullus omnino locus esset, in quo ipse esse dici posset. Indeque pariter venit inferendum in conceptu reali immensi, atque adeo etiam immensitatis ea omnia extrinseca de connotato includi, à quibus Deus semiextrinsece denominatur presentis vbiue. Et consequenter immensitatem, & vbiuitatem, seu presentiam vbiue Dei eundem omnino conceptum obiectiuum esse, iuxta communem concipiendi, & loquendi morem.

Cæterum, quanquam hæc ita sint, quia 136 multi nomine immensitatis dumtaxat formalitatem intelligunt intrinsecam Dei, quam vbiuitas, siue presentia vbiue Dei importat in recto, & à qua Deus formaliter euadit determinatus, siue necessitatus ad essendum vbiue, idcirco nos claritatis gratia duplicem Dei immensitatem, cum opus fuerit, distinguemus; alteram intrinsecam, consistentem præcisè in formalitate prædictâ; alteram semiextrinsecam addentem insuper ex connotato spatia localia, aut etiam res in eis existentes, quibus Deus dicitur presentis. Quæ ipsissima est vbiuitas, siue presentia vbiue Dei in omnium phrasi.

Propositio 2.

Presentia vbiue Dei nullam importat in suo conceptu reali veram negationem, seu veritatem negatiuam. 137

Est contra Aureolum, & alios citatos num. 17. Probaturque. Nam indistantia, qua Deus dicitur esse indistans ab omni re, & spatio locali, aliud non est re ipsa ab ipsa presentia positua, qua illis presentis est, concepta, & significata à nobis per modum negationis distantie, & quæ, ac identitatis positua extremorum per negationem distinctionis concipi, & significari solet, cum dicuntur

ent talia extrema indistincta. Itaque sicut distinctio, & indistinctio, connexio, & inconnexio, æqualitas, & inæqualitas, aliaque huiusmodi; sic distantia, & indistantia duo extrema positiva sunt inter se contrariè opposita, tamen alterum à nobis per modam negationis alterius significatur, & concipiatur; prout ex doctrina vniuersali de negationibus data in Pharo Scient. disp. 9. quæst. 3. & 4. & disput. 10. quæst. 4. facile quisque potest colligere, quatenus per illam ostenditur, præter negationes excludentes entia non existentia ab statu existentiæ, nullas alias dari reuera negationes, seu veritates negatiuas. Circa quod etiam videri possunt, quæ de attributis Dei negatiuis diximus supra disput. 2. quæst. 3.

Propositio 3.

128 Præsentia, qua Deus in rebus, aut præfens rebus dicitur esse, nequaquam in operatione, qua in illis operatur, consistit.

Est contra Auctores citatos num. 118. Et probatur primò. Quia, si præsentia, qua Deus in rebus, aut præfens rebus dicitur esse, in ipsius operatione consisteret, Deus non esset in rebus diuerso modo per essentiam, ac est per potentiam: quia tam per essentiam, quam per potentiam, esset in rebus mediâ operatione, & non aliter. Hoc autem contra communem doctrinam est Magistri, 5. Thomæ, & omnium Theologorum distinguendum in Deo modum, quem habet, essendi in rebus per essentiam, siue per suam substantiam à modo, quem habet, essendi per potentiam mediante operatione, prout statuimus quæst. 3. proposit. 1. Quos duos modos essendi in rebus per substantiam, & per potentiam seu per operationem frequenter item distinguunt Patres in Deo; vt videre est in Athanas. lib. de Incircumscrip. Ambros. lib. 2. in Lucam, August. lib. 7. de Ciuit. cap. 30. Iyprian. Dec. 7. cap. 1. Anastas. Synai. lib. 2. de rectis fidei catholicæ dogmatibus in tom. 1. Biblioth. Patrum, Nyssen. Orat. 1. de Christi resurrect. Fulgent. de fide ad Petrum cap. 12. Hugo Victor. lib. 7. erudit. didalc. cap. 19. Ricard. Victor. lib. 2. de Trinit. cap. 23. Phot. in quæst. ad Amphil. cap. 75. & alijs.

129 Secundò probatur. Quia, vt ostendimus quæst. 5. Deus extra Mundum est præfens in toto spatio locali circumquaque infinite extenso, vbi nullam ad extra exercet operationem. Ergo præsentia eius nullatenus consistit in operatione, adhuc intra Mundum, vbi eam exercet.

130 Tertiò probatur. Quia denominationes, siue effectus formales præsentis alicubi, & operantis manifestè sunt inter se diuersi, atque etiam separabiles; quandoquidem bene potest intelligi quoduis ens præfens alicubi, quin operetur. Ergo ab eadem formâ, videlicet ab operatione, non possunt prouenire, sed à diuersis necessariò prouenire debent.

131 Quartò. Quia, si sit sermo de præsentia Dei in spatio locali, hæc necessariò præsupponitur prioritate saltem naturæ ad operationem: eo quod Deus non potest operari in aliquo spatio locali, nisi illi quodammodo approximatus, atque adeò aut in illo, aut in contiguo præfens præsupponatur iuxta doctrinam statutam supra quæst. 1. proposit. 3. Si autem sit sermo de præsentia Dei

in rebus existentibus, atque adeò ab ipso productis, ad hanc ipsarum rerum existentia, & consequenter operatio, per quam fiunt, præsupponitur: quia talis præsentia consistit in coexistentia Dei, & rerum in eodem spatio locali; priusque naturâ est, vnumquodque existere, quam alteri, & eodem spatio locali coexistere, quâ prioritate quæuis pars prior naturâ est, quam suum totum. Nequit igitur præsentia aliqua substantiæ diuinæ formaliter in ipsius operatione consistere.

132 Quintò. Quia præsentia localis rerum creaturarum nequaquam in earum operatione consistit, vt constat ex generali doctrinâ traditâ supra disput. 5. Igitur neque præsentia localis Dei consistit in eius operatione. De vtrâque enim, quod ad rem attinet, eadem ratio est.

133 Sextò. Quia immensitas, siue præsentia, vbiq; Dei ita est prædicatum transcendens essentiam, & attributa omnia diuina, vt vnicuique eorum per locum intrinsecum præscindendo ab alijs conueniat. Verumque subinde per locum intrinsecum est, Deum cum cæteris omnibus suis attributis vbiq; nihilominus fore, etiam si omnipotens, & ad extra operatiuus non esset, dummodò in tali hypothese spacia localia, aut etiam res, quibus esset præfens, aliunde, quam à Deo ipso subsisterent. Ergo præsentia Dei in operatione, quæ sine omnipotentia eius nequit per locum intrinsecum stare, nequaquam consistere potest.

134 Septimò. Quia Deus à formalitate sibi identificatâ, quam præsentiam ipsius intrinsecam, & quasi in actu primo dicimus, habet potissimum, esse præsentem omni spatio, & omni rei, suppositis ipsis spatijs, & rebus: quemadmodum creaturâ à præsentia sibi inherente habet potissimam, esse præsentem spatio, cui talis præsentia correspondet, atque etiam alijs rebus existentibus in tali spatio, suppositis ipso spatio, & rebus, iuxta doctrinam etiam traditam disput. 5. Ob idque tam, Deum, quam, creaturam alicubi esse præsentem, perfectionem præferet Deo ipsi, creaturæque intrinsecam, vnicuique suo modo iuxta dicta etiam superius quæst. 1. Non igitur ab operatione sibi extrinsecâ tanquam à formâ potest Deus eiusmodi perfectionem fortiri. Atque adeò neque in tali operatione præsentia, qua Deus est præfens rebus, potest consistere. Mirro alia. Nam hæc satis ad persuadendam propositionem.

Propositio 4.

135 Deus non à præsentia sibi superadditâ, & inherente, (vti pleræque creaturæ iuxta dicta disput. 5. quæst. 1.), sed à se ipso est determinatus ad existendum in quolibet spatio locali, seu loco imaginario ex suppositione, quòd tale spatium reuera est, qua ratione est, iuxta dicta supra quæst. 5.

Hæc propositio certissima est apud omnes. Quia Deus huiusmodi accidentium sibi inherendum capax non est, vt ostendimus inferius disput. 10. A seque ipso habet eminentiore quodammodo secum identificatam, ab omni de-

depuratam imperfectione omnem perfectionem, quam ab accidentibus superadditis, & sibi inherrentibus solent creaturæ sortiri iuxta dicenda etiam inferius disput. 16. Cuiusmodi est præsentia intrinseca determinans ad essendum in loco, siue in spatio locali in ta ea. quæ dicebamus quæst. 1. In quo hic non est amplius morandum.

135 Ex hac propositione inferitur, in hoc, quod est, Deum esse præsentem actualiter omni spatio locali, nullam aliam entitatem interuenire, præter entitatem diuinam, & ipsum spatium locale. Quomodo autem interueniant, ex dicendis proposit. 5, apparebit.

Propositio 5.

136 Præsentia actualis, qua Deus in omni spatio locali, seu loco imaginario, aut præsens illi dicitur esse, denominatio semixtrinseca est, seu potius actus semixtrinsecus includens in suo conceptu reali, præter entitatem diuinam, ipsum spatium locale; illam quidem in recto siue directè, hoc verò in obliquo, siue de connotato. Formaliter tamen sumpta, prout à nobis concipitur, relatio quædam rationis est, non ficta, sed supposititia.

Prima pars propositionis ostenditur primo. Quia ad præsentiam actualem Dei in spatio locali ipsum spatium locale est necessarium requisitum. Sed non est requisitum extrinsecè ut terminus connexionis eius. Ergo est requisitum intrinsecè ut constitutum ipsius. Consequentia est euidens ex se, & ex demonstratis in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 5, quia inter requiri extrinsecè ut terminum connexionis, & requiri intrinsecè ut constitutum, competitur, est, non dari medium. Maior verò non minus est euidens; quia si spatium locale desineret esse, qua ratione est, confessim Deus non posset dici cum veritate, neque esset actualiter præsens illi, ipsumque propterea ad actualem Dei præsentiam in illo manifestè requisitum est. Minor autem facillè demonstratur. Quia, cum entitas Dei, & spatium locale dumtaxat interueniant in hoc, quod est, esse Deum actualiter præsentem spatio locali iuxta certissimum confessarium proposit. 4. requiri spatium locale ad actualem Dei præsentiam in illo ut terminus connexionis eius, esset requiri ad entitatem Dei ab ipsa præsentia indistinctam ut terminus connexionis eius. At spatium locale sic non requiritur ad entitatem Dei: quia entitas Dei neque cum spatio locali, neque cum alio quopiam à se distincto connexa est, ut supra disput. 4. quæst. 2. latè ostendimus. Igitur spatium locale non ut terminus connexionis extrinsecus, sed ut constitutum intrinsecum, atque adeò in ipsa inclusum, est requisitum ad actualem Dei præsentiam in ipso. Quod erat ostendendum.

137 Secundò probatur, eadem pars. Quia præsentia actualis Dei in spatio Romano, & præsentia actualis Dei in spatio Matritensi reipsa sunt distinctæ inter se. Quandoquidem ex eo, quod Deus desineret actu esse præsens spatio Romano ex ipsius spatij defectu, non desineret esse actu præsens spatio Matritensi, hoc non deficiente,

ut est manifestum. Ergo prior præsentia aliquid includit in suo conceptu reali distinctum reipsa ab aliquo incluso in posteriore; alioquin non distinguerentur inter se reipsa, ut sit notum. At ista distinctio in talibus præsentijs inclusa alia esse non possunt ab spatijs Romano, & Matritensi; quia residuum ipsarum solus Deus est iuxta confessarium proposit. 4. & Deus non distinguitur à se ipso, ut conitat. Igitur prior præsentia spatio Romano, posterior verò spatio Matritense includunt in suo conceptu reali. Tantumdemque subinde est de præsentia actuali Dei in quouis alio spatio locali, seu loco imaginario.

Tertiò probatur eadem pars. Quia præsentia actualis Dei in spatio Romano, & præsentia actualis Dei in spatio Matritensi reipsa sunt inter se distantes, ut est manifestum: nam aliàs Deus prout actu præsens Romæ esset actu præsens Matriti, & vice versà, spatiaque subinde Romanum, & Matritense inter se penetrata essent. Quod est absurdum. Ergo præsentia actualis Dei in spatio Romano, & præsentia actualis Dei in spatio Matritensi aliqua inter se reipsa distantia, includunt in suo conceptu reali, ut conitat. Hæc autem alia ab spatijs ipsis esse non possunt: quia Deus, quem solum insuper includunt, per se præcisè à se ipso distans esse non potest, ut etiam conitat. Pariterque venit censendum de cæteris præsentijs Dei actualibus in cæteris spatijs.

Quartò probatur. Quia extensio actualis, qua Deus actu extensus est à Matrito vsque ad Romam, non est cum Deo identificata adæquate: quia Deus per se præcisè nequit esse extensus actualiter, cum sit indiuisibilis, ut amplius conlabit ex dicendis proposit. 9. Ergo, præter entitatem diuinam, ipsam spatij extensi à Matrito ad Romam extensionem includit in suo conceptu reali. Quod ipsum est, præsentiam actualem Dei in spatio à Matrito vsque ad Romam extenso in suo conceptu reali includere spatium ipsum, ut propositio data fert, Nam aliud includere nequit iuxta confessarium saepe citatum, proposit. 4.

Quintò denique. Quia præsentia actualis Dei in spatio locali non est identificata adæquate cum Deo: quandoquidem si, permanente Deo, deficeret spatium locale, non esset Deus actualiter præsens in illo, ut conitat. Ergo est identificata partim cum Deo, & partim cum spatio locali. Quod ipsum est, tam spatium locale, quam Deum in eius conceptu reali intrinsecè includi. Vel aliter clariùs. Id, quo præcisè deficiente, deficeret aliqua essentia, aut est ipsa tota essentia, aut pars eius; ut demonstratum est in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 5. Sed si deficeret spatium locale præcisè, deficeret præsentia actualis Dei in illo, ut conitat. Ergo spatium locale vel est tota ipsa præsentia, vel pars eius. Non tota; quia entitas Dei includitur in illà, ut est notum. Ergo pars. Quod ipsum est iterum, tam spatium locale, quam Deum includi in conceptu reali dictæ præsentia.

Quòd autem in conceptu reali dictæ præsentia includatur entitas Dei in recto & spatium locale, cui Deus per illam est actu præsens, in obliquo, ex generali doctrinà de eiusmodi denominationibus siue actibus semixtrinsecis traditâ in Pharo Scient. disput. 2. quæst. 4. & disput. 8. quæst. 2. & 3. & disput. 12. quæst. 3. & disput. 14. quæst. 1. conitat. Quòd denique dicta præsentia actualis

actualis (sicut & cæteri huiusmodi semiextrinseci actus) sumpta formaliter, & prout à nobis concipitur, sit quædam relatio rationis, non ficta, sed supposititia, & qualiter, ex generali etiam doctrinâ traditâ in Pharo locis citatis, quæ ad rem sunt recognoscenda, constat similiter, Quo tota nostra propositio manet probata.

Propositio 6.

142 Præsentia actualis, qua Deus per suam substantiam in omnibus rebus, aut illis intimè præsens dicitur esse, actus item semiextrinsecus est includens in suo conceptu reali, præter entitatem diuinam, tum ipsas res prout præsentem in suo spatio locali, tum ipsum earundem spatium locale.

Hæc propositio eisdem argumentis, quibus præcedens, & potiori iure venit probanda. Cum sit certissimum, casu, quod solæ res existentes, de quibus est sermo, cum suis præsentijs localibus deficerent, fore, ut & præsentia actualis Dei in illis deficeret. Ex quo sequitur euidenter, tales res cum suis præsentijs localibus in tali Dei præsentia actuali intrinsecè includi iuxta vltimum argumentum factum pro præcedente propositioe. Quam inclusionem pariter per cætera argumenta ibi facta, & huc applicata poterit vnusquisque probare. Ob id illa non repeto.

143 Quod autem dicta præsentia Dei in rebus includat insuper in suo conceptu reali spatium locale, in quo res ipsæ præsentem sunt, inde constat: quia sermo est de præsentia Dei in rebus immensitatis propriâ, qualis est tantum præsentia Dei in rebus localis, sine in rebus prout existentibus in eodem spatio locali simul cum ipso Deo. Quæ proinde nihilo dissent ab intima, & actuali penetratione Dei cum rebus in eisdem spatijs localibus, in quibus illæ præsentem sunt. De qua penetratione tum ex terminis ipsis, tum ex iam dictis satis superque comperitur est, includere in suo conceptu reali, præter entitatem diuinam, & res ipsas cum suis præsentijs, & spatijs localia, in quibus Deus cum illis penetratus est. Quandoquidem, quolibet horum deficiente per possibile, vel impossibile, & cæteris omnibus permanentibus, non maneret Deus actualiter penetratus cum rebus in eisdem spatijs localibus, in quibus illæ præsentem sunt, prout ex se notissimum est. Vnde euidenter inferitur, ut nuper dicebam in simili, quoduis eorum in dictâ Dei penetratione intrinsecè includi. Vtrum autem Deus in rebus solis independentem ab spatio locali intimè præsens concipi possit, aut etiam reuerà esse alio præsentia genere, ex dicendis quæst. 8. constabit.

144 Quomodo autem prædicta Dei actualis præsentia in rebus includat in suo conceptu reali directè quidem entitatem diuinam, & oblique res cum suis præsentijs, & spatijs localia, in quibus illæ præsentem sunt. Quomodo item sumpta formaliter, prout à nobis concipitur, relatio quædam rationis sit, non ficta, sed supposititia; ex doctrina indicata in simili num. 141. constat. Quæ in locis Phari Scient. ibi citatis videntur est.

Propositio 7.

De præsentia actuali Dei in locis reabilibus per inde philosophandum est, quod attinet ad eius conceptum realem, & formalem, ac de præsentia actuali Dei in rebus est philosophatum proposit. 6. 145

Quia, licet paulò aliter dicatur Deus esse præsens in locis reabilibus, ac dicitur esse præsens in rebus iuxta dicta supra quæst. 4. quod attinet verò ad conceptus reales, & formales, eadem, prorsus vtriusque præsentia philosophia est, ut ex dictis in præcedentibus facillimè quisque potest colligere.

Propositio 8.

Immenfitas, siue præsentia intrinseca, & quasi in actu primo Dei neutiquam est ita virtualiter extensa, atque ex diuersis formalitatibus virtualiter inter se distinctis composita, ut per earum singulas singulis locis, singulis ve partibus spatij localis seorsim correspondeat. 146

Hæc propositio est contra Recentiores supra num. 120. commemoratos; adeoque certa mihi videtur, ut nesciam, quâ possit opposita turò defendi. Nam iuxta illam necessariò dicendum est contra commune consensum Patrum, & Theologorum ex factis Scripturis depromptum, non totum Deum esse vbique; quandoquidem iuxta illam formalitas reipsa identificata cum Deo, per quam ipse est præsens Romæ, non est præsens Mariti, & formalitas, per quam est præsens Mariti, non est præsens Romæ, & in cæteris pariter. Quod est à singulis locis, siue partibus spatij localis reipsa desse omnes formalitates identificatas cum Deo, per quas ipse cæteris omnibus correspondet; & consequenter totum Deum reuerà non esse integrum vbique. Quam autem sit absurdum concedere, non totum Deum esse vbique, imprimis constat ex testimonijs Patrum oppositum expressè asserentibus. Ambros. in libello de dignitate conditionis humanæ cap. 2. initio. *Deus vnus semper vbique totus est.* Hilar. in illud Psal. 118. *Prope es tu domine. Adest vbique, & totus vbique est.* August. epist. 112. ad Paulinum de Deo videndo cap. 11. *Vbique totus est.* & lib. de cognitione veræ vitæ cap. 29. *Vbique, scilicet in omnibus, & extra omnia, est totus.* Fulgent. lib. 2. ad Monimum ante medium. *Tota Trinitas sic localiter nusquam, ut tamen nusquam desit; atque ita est vbique tota, ut nec per partes creatura totius particulariter diuidi, neque vniuersitate totius possit creatura concludi.* Damasc. lib. 1. fidei cap. 16. *Totum totaliter vbique existentem, totum in omnibus, & totum super omnia.* Ricard. Victorin. lib. 2. de Trinit. cap. 23. *Erit itaque in quantalibet cuiuslibet parte totus totus, & in toto totus, & extra totum totus.* Similiaque habent alij. Deinde id ipsum haud dubie probant cætera omnia testimonia Scripturæ Patrum, & Theologorum tum quæst. 1. tum alijs in præcedentibus commemorata, quibus ut certum secundum fidem asseritur absque vllâ limitatione, Deum vbique esse. Quod enim de Deo absque

absque vllâ limitatione affirmatur, de toto haud dubie, & integro Deo intelligitur affirmatum, non de Deo manco, & diminuto, aut de parte Dei, quale est, quod superest, aliquibus eiusdem Dei formalitatibus seclusis. Quinimo, si non de toto, & integro Deo affirmarent, vbique esse, Scriptura, Patres, & Theologi, id vtrique non de vero Deo, qualis est dumtaxat totus, & integer, sed de chymérico affirmarent. Quod quàm sit etiam absurdum, nemo non videt. Itaque concedere non totum Deum esse vbique, haud dubie non est tutum in fide. Id autem planè concedunt Aduersarij, cum dicunt non omnes formalitates diuinas vbique esse, sed in vnoquoque loco, in vnaquoque ve parte spatij localis esse præsentem aliquam Dei formalitatem, quæ in cæteris præfens non est.

147 Secundò probatur propositio, Quia, si sententia opposita vera esset, Deus reuerà non esset in mensuris quod omnes suas formalitates. Quod est etiam absurdum, Quia immensitas attributum est citra dubium transcendens omnes diuinas formalitates: sicuti bonitas, veritas, infinitas, & alia id genus.

148 Tertio probatur. Quia, quo iure adstruuntur ab Aduersarijs in Deo pro diuersis locis, siue spatijs localibus diuersæ formalitates virtualiter inter se distinctæ, & singulis eorum seorsim correspondentes, eodem omnino debent adstrui in Deo pro diuersis temporibus, siue spatijs temporalibus diuersæ formalitates etiam distinctæ virtualiter, & singulis eorum pariter correspondentes seorsim. Quo fiet, vt integer Deus nec extiterit ab æterno, nec sit exiturus in æternum, sed singulis momentis temporis totidem eius formalitates de nouo incipient existere, & totidem existere debent; tamen omnes, dum existunt, realiter sint idem cum ipso Deo, Quæ manifestè sunt absurda maiora; & quæ iuxta principia fidei concedi non possunt.

149 Quarto probatur. Quia necessitas essendi vbique perfectio est simpliciter simplex, ita conueniens formalitatibus diuinis eo titulo, quod sunt diuinæ, vt sine illâ imperfecta forent, aut certè minus perfecta, quàm deberent. Ergo impossibiles sunt formalitates diuinæ, quibus non conueniat, quales in Deo adstruuntur ab Aduersarijs. Siquidem neque vlla Dei formalitas potest esse minus perfecta, quàm deberet, neque vlli habenti titulum diuinæ, vt omnes habent, potest deesse perfectio, quàm cætere eo titulo habent, vt est notissimum.

150 Quintò denique probatur. Quia, vt ostendimus in Pharo Scilicet disput. 13. quasi. 6. formalitates realiter formaliter identificate non sunt afferendæ, adhuc in Deo, distinctæ inter se virtualiter in ordine ad prædicata contradictoria absque necessitate extremâ, quàm proximè, aut remote vrger fides. Sed in casu, quem veriamus, nulla est huiusmodi necessitas à fide oriunda; cum potius necessitas opposita à fide videatur nasci iuxta argumenta facta. Igitur in casu, quem veriamus, malè ab Aduersarijs asseritur inter formalitates diuinas distinctio virtualis in ordine ad prædicata contradictoria essendi, & non essendi in eodem loco, in eodem ve spatio locali.

151 Immensitas ergo intrinseca Dei nullatenus potest dici virtualiter extensa eo titulo, quod ex diuersis formalitatibus virtualiter inter se distinctis, & diuersis locis correspondentibus compo-

sita sit; sed vt summum eo, quod, cum sit formalitas in sese adhuc virtualiter simplex, necessitatem tamen inducit ad hoc, vt Deus in loco extenso ex ipsius loci suppositione præfens existat, prout iam expono.

Propositio 9.

Deus ratione suæ intrinsecæ immensitatis per sui totius localem replicationem, siue repetitionem est præfens in omnibus locis imaginarijs, & realibus, in omnibusque partibus eorum, & rebus in illis existentibus. Eodemque pacto venit dicendus per eam omnia extensus localiter.

Ratio propositionis conspicua est. Quia res indiuisibilis in re diuisibili, & in omnibus partibus eius aliter, quàm per se totam existere nequit, cum careat partibus, vt constat. Hoc autem ipsum est, totam ipsam in omnibus, & singulis partibus rei diuisibilis replicatam, seu repetitionem esse, atque ita in omnibus, & singulis illis per sui totius replicationem, siue repetitionem, existere. Hoc pacto iuxta sententiam omnium, anima rationalis existit in omnibus, & singulis partibus corporis, & Angelus in omnibus, & singulis partibus spatij localis extensi. Hoc igitur etiam pacto dicendus est existere Deus, vt potè indiuisibilis, in omnibus, & singulis partibus omnium locorum tam imaginariorum, quàm realium, rerumque in illis præsentium, in quibus intimè, & penetratiuè existit ratione suæ immensitatis. Quod aded verum est, vt etiam admissa sententiâ (quam proposit. 8. reiecitimus) de diuisibilitate virtuali præsentia intrinsecæ Dei in formalitates diuersas pro diuersitate partium, locorum, & rerum, quibus Deus est præfens, necessariò dicendum sit, essentiam, & reliqua attributa intrinseca Dei in singulis dictis partibus per sui localem replicationem, siue repetitionem existere: quemadmodum in sententiâ ponente præsentiam Angeli diuisibilem pro diuisibilitate spatij localis extensi, cui correspondet; et si ipsa præsentia sit in partibus talis spatij per suarum partium localem distributionem; ac substantiam Angeli partibus expers non potest aliter esse in illis, quàm per sui totius localem replicationem, siue repetitionem. Quod ergo de substantiâ Dei, & reliquis attributis intrinsecis in omni sententiâ necessariò est dicendum, id nos (prædictâ sententiâ merito repudiatâ) dicimus de ipso itidem attributo immensitatis, siue præsentia intrinsecæ Dei, ac demum de tota entitate diuinâ, siue de toto ipso Deo; esse videlicet eum præsentem in omnibus, & singulis partibus locorum, & rerum per sui totius localem replicationem, siue repetitionem. Quomodo etiam supra disput. 3. quasi. 4. possibilem censuimus cum sententiâ communem præsentiam creatam indiuisibilem correspondentem spatio locali diuisibili; atque ita tum se ipsam tum suum subiectum collocantem in omnibus, & singulis partibus talis spatij per sui vtriusque localem replicationem, siue repetitionem. Quæ cum ita sint, planè consequitur, Deum per sui totius localem replicationem, siue repetitionem, extensum localiter esse penes extensionem locorum, & rerum, quibus ratione suæ immensitatis intimè præfens est. Quomodo autem ex eo, quod Deus indiuisibilis titulo suæ immensitatis

necef.

necessariò fit penetratus per sui totius replicationem cum omnibus omnino partibus locorum, & rerum, necessariò inferatur, non posse non ipsa loca, & res ex puris tandem indiuisibilibus physicè composita esse, superius disput. 5. quæst. 6. monstratum est.

153 Iam verò ex doctrinà huius propositionis inferitur primò: Deum à suà immensitate, siue præsentia intrinsecà præcisè sumptà nullam extensionem actualem habere. Quia vniuersaliter loquendo, extensio actualis rei indiuisibilis, partibusque subinde carens propriæ, & intrinsecæ extensionis alia esse non potest ab eà, quam sortitur extrinsecè, dum in partibus alterius rei diuisibilis, & ab intrinsecò extensæ aliquo modo replicata, siue repetita inexistit, vt satis superque ex se notum est. Vnde, licet Deus infinite extensus sit actualiter penes extensionem spatij localis circumquaque infiniti, cui actualiter præsens est, iuxta doctrinam stabilitam quæst. 5. hæc tamen actualis extensio à præsentia Dei actuali in toto ipso spatio indistincta non magis necessaria est Deo, quam ipsum spatium est necessarium in se se, vt potè quæ partim in præsentia intrinsecà Dei, & partim in spatio ipso reipsa consistit iuxta doctrinam stabilitam proposit. 5. Et quoniam Deus cum omnibus suis prædicatis intrinsecis infinite est magis necessarius in suo esse, quam huiusmodi spatium; ab ipsoque omnino independens, siue cum ipso non connexus iuxta doctrinam traditam supra disput. 3. & 4. conficitur, extensionem Dei actualem in toto spatio locali, etsi metaphysicè sit necessaria penes necessitatem metaphysicam ipsius spatij localis, infinite tamen minus necessariam esse, quam est ipse Deus, & consequenter, quam est immensitas, siue præsentia intrinsecà eius.

154 Ex quo rursus fit, vt ex hypothesi absolute impossibili, quòd spatium locale non esset, siue desineret esse id, quòd est, ita Deus nihilominus permaneret cum omnibus suis intrinsecis perfectionibus, vt infinite extensus localiter non esset titulo immensitatis, sicuti modò est: maneret tamen sic constitutus à suà intrinsecà immensitate, siue præsentia, vt non posset non esse infinite extensus, sicuti est modò, ex suppositione, quòd esset ipsum spatium locale, sicuti est modò. Quemadmodum ex hypothesi absolute impossibili, quòd omnis creatura desineret esse possibilis, ita Deus nihilominus permaneret cum omnibus suis intrinsecis perfectionibus, vt non esset absolute potens producere creaturas titulo omnipotentis; maneret tamen sic constitutus à suà intrinsecà omnipotentia, siue virtute, vt non posset non esse potens producere creaturas, sicuti est modò, ex suppositione, quòd essent possibles creaturæ, sicuti sunt modò. Quanquam enim immensitas intrinsecà Dei per se præcisè non reddat ipsum extensum localiter; reddit tamen necessitatum ad hoc, vt si detur extensio aliqua localis, per sui totius præsentiam in omnibus & singulis partibus eius extensus localiter sit. Sicut, quamquam omnipotentia intrinsecà Dei per se præcisè non reddat ipsum absolute potentem producere creaturas; reddit tamen necessitatum ad hoc, vt si creaturæ sint possibles, absolute potens sit producere illas.

155 Secundò inferitur, verissimam esse sententiam de præsentia Dei actuali in toto spatio locali, seu loco imaginario circumquaque infinito; quam cum plerisque Theologis contra alios

multos supra quæst. 5. statuimus. Nam iuxta illam de facto habet Deus extensionem localem actualem circumquaque infinitam, & consequenter magnitudinem infinitam immensitatis propriam, qualem ipsi haud dubie attribuunt de facto sacra Scripturæ, & Patres. Cùm tamen aduersa sententia hac mirabili, & infinita perfectione, tametsi semiextrinsecà, defraudet Deum. Siquidem iuxta eam solum habet Deus tantam localem extensionem actualem de facto, quantum habet Mundus; & antequam conderet Mundum nullam habebat. Vnde rursus apparet, (quod ibi etiam adnotabam), controuersiam, concertationemque Doctorum eiusmodi sententiarum oppositarum non esse de puro modo loquendi, vt quidam putant; sed de re, ipsaque grauissima. Recidit siquidem in controuersiam de extensione locali Dei actuali, & circumquaque infinita affirmandà, aut negandà.

Propositio 10.

Immensitas Dei quolibet modo sumpta attributum ipsius est distinctum à reliquis, qua ratione Diuina attributa sunt distincta inter se. 156

Ita expriment, aut supponunt communiter Theologi contra Smising. citatum supra num. 121. Etenim immensitas Dei sumpta pro attributo ipsius semiextrinsecò includente de connotato spatio locale in suo conceptu reali iuxta superius dicta non solum per rationem nostram, sed etiam realiter est distincta à cæteris omnibus attributis, quæ vel connotata distincta realiter, vel nullum connotatum includunt in suo reali conceptu iuxta generalem doctrinam de distinctione attributorum supra disput. 2. traditam. Et idem est, proportionem seruata, de immensitate Dei prout insuper includente de connotato in suo conceptu reali res existentes, in quibus etiam Deus actualiter præsens est iuxta etiam dicta propositionibus præcedentibus. Immensitas vero Dei sumpta pro intrinsecò conceptu cum ipso Deo identificato, & in immensitate semiextrinsecà intrinsecè incluso formalitas quædam Dei est à cæteris omnibus intrinsecis Dei attributis formaliter, seu per rationem nostram distincta æquè, ac cætera intrinsecà attributa formaliter, seu per rationem nostram sunt distincta inter se iuxta doctrinam etiam vniuersalem disput. 2. citatà traditam. Concipiunt enim à nobis cum fundamento in re immensitas intrinsecà Dei tanquam forma, siue formalitas quædam à cæteris omnibus formalitatibus Diuinis diuersa, essentiaque metaphysicè Dei metaphysicè superaddita, & necessariò annexa æquè, ac cætera ipsius attributa intrinsecà; à qua vnice euadit Deus determinatus, necessitatusque ad existendum vbique, siue in omnibus omnino locis, & consequenter in rebus ipsis præsentibus ex suppositione, quòd sunt, quæ ratione sunt ipsa loca, & res. Perinde, ac creatura per formam quamdam, quam præsentiam localem, siue vbiocationem appellamus, physicè sibi superadditam, & inhærentem determinatam, necessitataque euadit ad existendum in spatio locali, cui ea suapte essentia correspondet iuxta doctrinam supra statutam disput. 5. quæst. 1. Itaque, quemadmodum præsentia localis essentia

tia

ria physice creaturæ physice superaddita vnicè præ cæteris accidentibus eius reddit eam necessariò præsentem actualiter in certo quodam spatio locali ex suppositione ipsius spatij; accidensque proinde creaturæ est à cæteris omnibus distinctum, diuersumque physice, ita immensitas, siue præsentia intrinseca Dei essentia metaphysice ipsius metaphysice superaddita; seu per rationem nostram vnicè præ cæteris intrinsecis attributis eius reddit Deum necessariò præsentem actualiter in omni omnino spatio locali, & consequenter in omni se ipsi spatio præsentè; attributumque proinde est ipsius Dei à cæteris omnibus distinctum, atque diuersum metaphysice, seu per rationem nostram. Contra quod certè singulariter, & absque idoneo fundamento opinatus est Smilingus.

157 Per qua omnia satis, superque videtur explicata manere quidditas, conceptusque proprius immensitatis Diuinae, atque etiam vbi-quitatis, siue præsentia vbiq; Dei. Quod erat intentum propositum in præsentè quæ-
sitione.

QVÆSTIO VII.

*Verùm immensitas, vbiq;itas, siue
præsentia vbiq; ita sit propria
Dei, vt nulli possit crea-
turæ communi-
cari.*

158 **S**uppono primò vt apud omnes certum, ex-
suo, quod daretur corpus quoad trinam di-
mensionem, atque adeò circumquaque infini-
tum, & consequenter occupans totum spatum
locale, omnemque subinde excogitabilem locum
imaginariam iuxta dicenda latè inferius disput.
13. illud vtiq; nec fore immensum, nec præ-
sens vbiq; ea immensitate, & vbiq;itate, de
qua tractamus: quia non per se totum, siue per
sui totius localem replicationem, prout ad vbi-
q;itatem, de qua agimus opus erat, sed per
suas partes, siue per suarum partium localem di-
stributionem esset vbiq; siue occupans omnem
locum. Quod aliud est genus vbiq;itatis val-
de diuersum. Est autem tale corpus possibile,
à Deoque proinde factibile de potentia absolu-
tà, ex dicendis disput. 13. citatà comper-
tum fiet.

159 **S**uppono secundò etiam vt certum apud
omnes, immensitatem, ac vbiq;itatem eà ratio-
ne, qua conuenit Deo per essentiam, & prorsus
necessariò, nullatenus vili creaturæ conuenire
posse; atque ita propriam Dei esse. Quia non
potest quidpiam conuenire creaturæ hoc ipso,
quod creatura est, aliter, quàm per participatio-
nem, & contingenter; utpote quæ vel suum ipsum
esse existentia aliunde, quàm ex Creatore, & ali-
ter, quàm contingenter, habere non potest, vt
est notissimum.

160 **S**uppono tertid etiam vt certum, si per par-
ticulam *vbiq;e* significetur duntaxat omnis lo-
cus realis, factà suppositione, quòd vnicus tan-
tum esset locus realis, ens in eo existens fore
vbiq;. Quo sensu dixit S. Tho. 1. par. quæst 8.
artic. 4. in corpore, sic granum milij esset vbi-
q;e, supposito, quòd nullum aliud corpus ef-

set, Puta, vt conclusum in suà superficie,
extimà tanquam in loco. Nam aliàs adæqua-
tè sumptum, vt non diceretur granum milij
esse in se ipso proprie tanquam in loco; sic
neque diceretur proprie vt sic esse vbiq;. Quid-
quid sit de locutione impropria, vel minùs
propria,

Suppono quartò etiam vt certum, si per
particulam *vbiq;e* significetur duntaxat omnis
locus realis, possibilem esse creaturam, quæ per
sui totius localem replicationem supernaturaliter
saltem existat absolute vbiq; hoc est in omni
loco reali absolute existente, siue in toto Vniuer-
so. Quia nihil vetat poni à Deo aliquam crea-
turam saltem de potentia absoluta in toto Vniuer-
so per sui totius localem replicationem præsen-
tem, Quandoquidem de facto Angelus sic præ-
sens est etiam naturaliter in loco reali extenso, ta-
meti minore. Si enim Angelus de facto per sui
totius localem replicationem spatium extensum,
finitum replere potest potentia naturali, quid ni
possibile erit creatura aliqua, quæ possit pari-
ter replere quodlibet aliud spatium, quantumuis
maius, potentia saltem obedientiali, dummodò
illud etiam finitum sit? Certè creaturam huius-
modi nullam secum ferre contradictionem, ex
se videtur manifestum. Vnde planè sequitur,
possibile quoque esse creaturam, quæ per sui
totius localem replicationem supernaturaliter
saltem replere possit quoduis aliud spatium fini-
tum, quantumuis maius sit eo, quod replet Vni-
uersum. Vtrum autem sit possibile creaturæ,
quæ per sui totius localem replicationem possit
replere naturaliter quoduis spatium finitum,
quantumuis magnum. Necnon creatura, quæ
possit, & debeat replere illud essentialiter ex
suppositione, quòd existat, dubitationem habet in-
sequentibus dirimendam. Sicut etiam, an omnis
creatura potens per sui totius localem replicatio-
nem aliquod spatium finitum replere, eo ipso su-
pernaturaliter saltem possit replere quoduis aliud
finitum.

Suppono quintò etiam vt certum, nullam
creaturam de facto esse præsentem per se totam
in toto Vniuerso, & consequenter neque vbiq;
sumpto *vbiq;e* pro omni loco reali. Id quod
imprimis tenent Patres, qui ex illo Sap. 1. *Spi-
ritus Domini repleuit orbem terrarum*, colligunt,
Spiritus sanctum esse Deum, supponentes nul-
lam creaturam per sui localem replicationem
totum terrarum orbem replere, vt Spiritus sanctus
replet. Nullamque proinde per se totam in
toto orbe terrarum præsentem esse. Ita Am-
bros. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 7. Hieron. & Ca-
siodor. in Psal. 138. Cyrilli. Alex. lib. 7. de Trinit.
Basil. lib. de Spiritu sancto cap. 22. Didim. lib. 1.
de Spiritu sancto. Fulgent. lib. ad Donatum.
cap. 8. Vigil. in disputat. Athanasij, Arij, & Sa-
belij, August. lib. 3. contra Maxim. cap. 21. & alij.
Deinde id ipsum constat ex Scripturà, & ex ra-
tione naturali, quatenus iuxta vtramque Angeli,
& enim rationales; quæ solæ creaturæ titulo spi-
ritualium possunt per sui replicationem spatium
extensum connaturaliter replere, in suis determi-
natis locis, & valde exiguis comparatione Vni-
uersi existunt, prout latius exponitur à Theologis
in tract. de Angelis.

His ita positis, tria dubia superflunt. Pri-
mum. An sit possibile, vt aliqua creatura su-
pernaturaliter, deque potentia Dei absoluta per
sui replicationem præsens ponatur in toto spa-
tio

tio locali circumquaque infinito, atque adeo ubique, sumpta hac particula pro omni loco imaginario. Secundum. An sit possibilis creatura, cui connaturaliter sit debitum, totum ipsum spatium locale, omnemque locum imaginarium per sui replicationem replere. Tertium. An sit possibilis creatura, cui sit essenziale replere per sui replicationem totum ipsum spatium locale, omnemque locum imaginarium, adeo, ut ex suppositione, quod existat, nullâ potentia possit in aliqua parte spatij, in aliquo ve loco imaginario præsens non esse.

164 Circa primum dubium, qui negant, possibile esse omne infinitum in actu, inferius disput. 13. referendi, consequenter debent negare, possibile esse, ut aliqua creatura in infinito spatio locali præsens ponatur per præsentiam in tot partes diuisibilem, quot sunt partes spatij: quia talis præsentia quoddam infinitum in actu esset, ut constat: imo & per præsentiam indiuisibilem in eisdem infinitis partibus spatij per sui replicationem extensam, quidquid in oppositum innuat Arriaga statim citandus. Quia, si semel repugnet præsentia per infinitas partes sui correspondens spatio locali infinito; potiori haud dubie iure repugnet etiam præsentia per infinitas replicationes sui correspondens eidem infinito spatio. Affirmatiuam tamen sententiam censentem, possibile esse, ut creatura aliqua de potentia Dei absoluta in toto spatio locali circumquaque infinito per replicationem sui collocetur, mediâ saltem præsentia diuisibili in tot partes, quot talis spatij partes sunt, tenent Scot. in 4. distinct. 10. quæst. 2. artic. 3. Rossen. lib. 5. de Ver. Euch. cap. 33. Sot. lib. 4. Phys. quæst. 2. artic. 3. Gabr. in 1. distinct. 37. artic. 3. dub. 2. Valent. 1. par. quæst. 8. punct. 4. Ioseph. August. 1. par. quæst. 8. artic. 4. sine Recupit. lib. 4. de Deo quæst. 15. Arriaga disput. 14. Physic. sect. 6. & alij. Quam etiam sententiam consequenter; imo potiori iure tenere debent, qui putant possibilem esse creaturam ab æterno, & in æternum, in omnique proinde tempore imaginario vtrunque infinito durantem: quos etiam referemus infra disput. 13. Quiros vero tom. 1. de Deo in quæst. 8. artic. 4. S. Tho. mediâ via incedens arbitratur, posse creaturam obediencialiter in infinitis locis poni non tamen in omnibus possibilibus, seu imaginarijs. Circa secundum, & tertium dubium, qui negant, posse adhuc supernaturaliter poni creaturam replicatam in omni loco imaginario; consequenter negant, posse connaturaliter; potioreque iure, posse, & debere essentialiter. Quibus adde Recupitum supra. Oppositum tamen in vtroque casu videtur sentire Arriaga supra, & alij.

Propositio 1.

165 Possibile est, ut aliqua creatura supernaturaliter saltem ponatur præsens per sui replicationem in toto spatio locali circumquaque infinito, atque adeo in omni loco imaginario, eoque sensu ubique.

Quia neque ex tali creaturâ, neque ex tali præsentia eius vlla sequitur contradictio. Maxime, si sermo sit de præsentia diuisibili ex parte spatij in tot infinitas partes, quot habet spatium

ipsum, & indiuisibili ex parte subiecti, cuiusmodi iuxta sententiam communem sunt de facto præsentia, quibus Angeli replicati ponuntur in spatijs extensis. Huiusmodi enim præsentiam infinitam circumquaque quoad extensionem esse possibilem, ex dicendis disput. 13. compertum fiet, ex dictisque etiam de quiditate spatij localis circumquaque infiniti disput. 5. quæst. 2. conitatur, quatenus ibi statutum est, illud in possibilitate sue capacitate huiusmodi præsentia consistere. Quod autem sit creatura possibilis obediencialiter capax talis præsentia, indubitabile sanè est. Imo verò, esse etiam possibilem præsentiam omnino indiuisibilem replentem per sui replicationem totum spatium locale, reddentemque subinde in eo toto pariter per replicationem præsentem creaturam etiam possibilem, cuius præsentia sit, ex dicendis proposit. 3. constabit. Præsens autem confirmatur præterea à paritate creaturæ potentis per durationem diuisibilem in tempore vtrunque infinito, atque adeo ab æterno, & in æternum durare, quam esse possibilem, ostendemus disput. 13. citatâ.

Propositio 2.

Possibilis est creatura, cui debitum sit 166 connaturaliter, esse per sui replicationem præsentem in toto spatio locali circumquaque infinito, atque adeo in omni loco imaginario, eoque sensu ubique.

Probatum primò, Quia possibilis est creatura, cui sit id ipsum essentialiter debitum iuxta dicenda proposit. 3. Quod autem alicui creaturæ debitum essentialiter est, eo ipso est ipsi debitum potiore iure connaturaliter, ut est notissimum. Secundò. Quia possibilis est citra dubium talis multitudo infinita creaturarum, qualis sufficeret ad replendum totum spatium locale per præsentias connaturaliter debitas, & replicatas ipsarum diuersis partibus talis spatij correspondentes. Sed etiam est possibilis vna creatura illis omnibus infinitis æquiualens quoad suam essentiam, & perfectionem, exigensque subinde connaturaliter tantam præsentia localis extensionem, quantum omnes illa simul sumpta, ut apparebit ex generali doctrinâ tradendâ disput. 13. Ergo possibilis est creatura, cui connaturaliter sit debita præsentia replicatiua ipsius replens totum spatium locale. Tertio probatur. Quia ex tali creaturâ nulla sequitur contradictio, ut ex solutione argumentorum eam contendentium, subiiciendorumque postmodum innotescet, Igitur est illa possibilis.

Propositio 3.

Possibilis est creatura, cui essentielle 167 sit, atque adeo penitus necessarium ex suppositione, quod existat, esse per sui replicationem præsentem in toto spatio locali circumquaque infinito, atque adeo in omni loco imaginario, eoque sensu ubique.

Etenim, supposito, quod est possibilis ubique

B s catio

cario. siue præsentia localis omnino indiuisibilis replens per sui replicationem, & suapte essentia spatium locale diuisibile, vt ex communi ostensum est supra disput. 5. quæst. 4. imo iuxta multorum opinionem huiusce generis sunt de facto præsentia Angelorum; imprimis non est, cur repugnet præsentia huius generis replens totius spatij localis, atque adeo cui tanquam cuidam creaturæ sit essenziale, esse præsentem in toto illo ex suppositione, quod existat. Vt enim intra genus præsentiarum diuisibilium suapte essentia correspondentium spatio locali extenso per suarum partium distributionem non solum sunt possibiles finitæ correspondentes spatij finito, sed etiam infinitæ tum partiales, tum totales correspondentes tum partibus in se infinitis spatij totalis, tum ipsi toti, iuxta doctrinam tradendam infra disput. 13. ita intra genus præsentiarum indiuisibilium suapte essentia correspondentium spatio locali extenso per sui totius replicationem non solum sunt censendæ possibiles finitæ suo modo correspondentes spatio finito, sed etiam suo modo infinitæ tum partiales, tum totales correspondentes tum partibus in se infinitis spatij totalis, tum ipsi toti, Nulla quippe videtur excogitabilis idonea ratio, cur in hoc genere secundo sint impossibiles præsentia suo modo infinitæ, quando in illo priori suo modo sunt, vt nunc supponimus ex dicendis disput. 13. citatâ.

368

Deinde, Quoniam possibilis est creaturæ substantialis, tum accidentalis, quæ per se ipsam absque superaddita præsentia spatij locali extenso essentialiter affixa sit iuxta doctrinam statutam disput. 5. quæst. 1. proposit. 4. idque vel per suarum partium distributionem, vel per sui totius replicationem. Quoniam item intra genus huiusmodi creaturarum penes diuisibilitatem spatij, cui per suarum partium distributionem suapte essentia correspondent, diuisibilium non solum huius correspondentes spatio finito, sed etiam infinitæ tum partiales, tum totales correspondentes tum partibus in se infinitis spatij totalis, tum ipsi toti possibiles asserendæ sunt iuxta doctrinam vniuersalem tradendam disput. 13. citatâ, quam modò supponimus, Consequens est, vt etiam intra alterum genus huiusmodi creaturarum per sui totius replicationem spatio extenso suapte essentia correspondentium non solum asserantur possibiles finitæ suo modo spatio finito correspondentes, sed etiam suo modo infinitæ tum partiales, tum totales correspondentes tum partibus in se infinitis spatij totalis, tum ipsi toti. Neque enim in his posterioribus specialis aliqua cernitur repugnantia ab illis prioribus aliena.

169

Præterea propositio nostra inde vniuersè probanda venit; quod ex creaturâ, de qua in ea est sermo, nulla sequitur contradictio, vt ex solutione argumentorum, quæ possunt contrariè poni, constabit; atque adeo talis creatura possibilis censenda est.

170

Verùm contra statutas propositiones, & præsertim contra secundam, & tertiam obijci potest primo, Immenstas attributum est proprium Dei impotens vllæ creaturæ communicari, vt vniuersim sentire videntur Theologi, & Patres. Sed creaturis, de quibus in propositionibus nostris est sermo, præsertim in secundâ, & tertâ, nihil deest, quominus essent immensæ: siquidem ex necessitate naturali, aut etiam essentiali

præsentibus vbique essent, si existerent, vt præsentis est Deus. Igitur eiuſmodi creaturæ chymicæ sunt, & impossibiles, non verò possibiles, vt in dictis propositionibus asseruntur. Respondeo, immensitatem propriam Dei, & nullæ creaturæ communicabilem iuxta mentem Theologorum, & Patrum immensitatem esse per essentiam, & simpliciter necessariam, & tam eximie omnimodæque infinitudinis intra suum genus, vt ratione illius Deus non solum euadat præsentis toti spatio locali, quale quale illud iam iam est circumquaque infinitum, sed etiam ita sit intrinsicè constitutus, vt licet essent ita infinites infinitæ, & infinites infinitè maiora spatia localia, in illis omnibus Deus existeret præsentis. Quæ tria alienissima sunt ab immensitate, seu potius vbiquitate creabili in supra dictis creaturis, quas possibiles censemus, repertâ. Vbiquitas enim omnium illarum non per essentiam, sed per participationem est talis; subindeque absolutè non necessaria, sed contingens est; & licet habeat intra suum genus infinitatem quatenus ad totum spatium locale infinitè extensum porrigitur; sed infinites infinitè inferiorum infinitas immensitatis Dei, Nulla quippe possibilis creatura est adeo eximie, & perfectè infinitudine spectante ad genus vbiquitatis pollens, vt est pollens Diuina sublimitas iuxta iam dicta.

Secundo obijci potest. Præsentia vniuersæ cuiusque entis per replicationem sui in spatio extenso perfectio ipsius entis est; atque ita quando entis est debita aut connaturaliter, aut essentialiter, eo maiorem perfectionem arguit in essentia ipsius entis, quo maior illa est, maiori ve seu magis extenso spatio correspondet. Quocirca dicunt Theologi communiter in tract. de Angelis, quod perfectiores sunt Angeli quoad suam substantiam, seu essentiam, eo maiores ipsis præsentias locales, maioribus ve spatijs correspondentes connaturaliter debent. Ergo præsentia replicatiua correspondens spatio infinito arguit in ente, cui debetur seu naturaliter, seu essentialiter, essentiam infinitè perfectam. At essentia infinitè perfectæ nulli creaturæ potest competere; quia perfectio essentialis infinita solius Dei propria est. Ergo nulla est possibilis creatura, cui aut naturaliter, aut essentialiter debita sit præsentia replicatiua infinita correspondens toti spatio locali. Admissis reliquis, ad maiorem subsumptam dico, non repugnare creaturæ aliquod genus infinitudinis quoad perfectionem iusticiens, vt illi existenti esset debita aut naturaliter, aut etiam essentialiter præsentia infinitè extensa, de qua tractamus. Tametsi non sit possibilis creatura secundum essentiam, seu quoad essentiam infinita, prout apparebit ex dicendis infra disput. 13.

Quod si possibilis est creatura, quæ per sui totius replicationem possit replere connaturaliter totum spatium locale circumquaque infinitum, iuxta proposit. 2. necnon, quæ possit, & debeat replere illud essentialiter ex suppositione, quod existat, iuxta proposit. 3. Multo potiori iure erit possibilis creatura, quæ quoduis spatium finitum quantumuis magnum connaturaliter replere valeat per sui replicationem; necnon, quæ valeat, & debeat essentialiter ex suppositione, quod existat.

Vtrum autem omnis creatura potens per sui replicationem connaturaliter replere aliquod spatium finitum, eo ipso possit supernaturaliter quodlibet aliud siue finitum, siue infinitum replere, pendet

pendet ex resolutione eius quæstionis, qua inquitur, an creatura habens potentiam naturalem, ad aliquem effectum, eo ipso habeat inchoatam, siue obedientem ad quemlibet alium excogitabilem intra idem genus. Cuius quæstionis pars affirmatiua est probabilior, præsertim, si sermo sit, ut est in præfenti, de potentia passiuâ, seu receptiuâ. Quo posito, dicendum erit, quemlibet Angelum eorum, qui de factò dantur, hoc ipso, quòd habet potentiam naturalem ad replendum per sui replicationem aliquod spatium locale extensum, habere obedientem ad replendum quodlibet aliud: atque ita posse supernaturaliter collocari replicatum à Deo non solum in quouis alio spatio finito maiore, sed etiam in toto spatio locali circumquaque infinito.

174 Ex dictis inferitur; non bene negari à Quiròs possibilitatem obedientem creaturæ ad existendum in toto spatio locali in omnibusque locis imaginarijs, dum concedit illam ad existendum in aliquo spatio infinito, in aliquibusque infinitis imaginarijs locis. Semel enim concessâ possibilitate præfentis replicationis creaturæ in spatio locali infinito secundum unam, aut duas dimensiones, scilicet secundum longitudinem, aut secundum longitudinem, & latitudinem tantum, nulla idonea ratio adduci potest, ob quam negetur possibilitas præfentis replicationis creaturæ in toto spatio locali circumquaque infinito secundum omnes tres dimensiones nimirum longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Ex se quippe videtur notum, ubi est possibilis duplex dimensio infinita, & triplicem possibilem esse. Triplex autem dimensio totum spatium locale, omniaque loca imaginaria repleat, siue adæquet, necesse est. In quo longè peius videtur peccare, Quiròs supponens aliquod spatium posse esse infinitum, etiam quoad trinam dimensionem, ultra quod adhuc restet plus, & plus in infinitum spatij totalis: sicut & posse aliquod tempus esse tum à parte ante, tum à parte post infinitum, ante quod, & post quod adhuc restet plus, & plus temporis, siue æternitatis totalis. Quo planè concedit possibile infinitum extensionis tum localis, tum temporalis inclusum terminis. Quod tamen esse manifestè impossibile, infra demonstrabitur à nobis disput. 13. Vbi etiam planè ostendemus, nullum posse esse spatium locale partiale infinitum quoad trinam dimensionem, sed quoad unam, aut duas dumtaxat. De quibus omnibus plura dicenda ibi videnda sunt.

QVÆSTIO VIII.

Virum Deus titulo sue immensitatis, aut alio intimè præfens esset creaturis; tamen si illa nullibi, siue in nullo spatio præfentes existèrent.

175 AN creaturæ possint existere absque omni præfentia locali, atque ita subinde esse existentes, ut nullibi, siue in nullo spatio locali præfentes sint, sub controuersia est. Alij enim affirmant, & alij negant. Nosque sententiam negantem approbauimus, & probauimus supra

disput. 5. quæst. 8. Modò tamen ex hypothesi, quòd iuxta sententiam affirmantem ita creaturæ existerent, ut in nullo spatio locali præfentes essent, quærimus, an Deus nihilominus esset illis intimè præfens vel ratione sue immensitatis, vel alio titulo. Monceus in suis disputationibus Theologicis disput. 1. cap. vi. proponit quæstionem hanc, & responderet, Deum quidem ex tribus modis, quos nunc habet efficiendi in creaturis, scilicet per essentiam, potentiam, & præfentiam, iuxta dicta supra quæst. 6. duos posteriores habiturum in eo casu; primum verò non item. Fore enim tunc in creaturis per potentiam, quatenus in eis operaretur, & per præfentiam, quatenus eas intuituè videret, non verò per essentiam, quatenus per suam substantiam ipsis localiter non esset intimè præfens, Cui quoad hanc tertiam partem consentit Lynce: contradicit tamen Quicdo citati à nobis in illa quæst. 8. prout ibi notauimus.

Propositio 1.

Ex hypothesi, quòd creaturæ existentes nullibi essent, Deus non esset illis intimè præfens per suam substantiam.

Hæc propositio ex dictis à nobis quæst. illa 8. probata manet, quatenus ibi à nobis probatum est, Deum per suam substantiam nulli creaturæ posse intimè præfentem esse, nisi in aliquo spatio locali eorum, in quibus ipse titulo immensi necessariò est, in quo ipsa quoque creatura præfens existat. Vnde manifestè conlequitur, ex hypothesi, quòd creaturæ in nullo spatio locali existerent, fore, ut Deus per suam substantiam intimè illis præfens non esset.

Cæterum, quia suppositis principijs fidei in hac disput. statuis, cenfeo necessariò dicendum, nullam creaturam posse existere, cui Deus non sit intimè præfens per suam substantiam ratione sue immensitatis; consequenter cenfeo dictam hypothesim absolutè esse chymericam; atque adeò, illà positâ, necessariò sequi duo contradictoria: uti ex quibusuis alijs impossibilibus hypothesibus sequi solent. Itaque impossibile est, aliquam creaturam existere, & nullibi existere; ut in illa quæst. 8. statutum, atque probatum est. Vnde, factâ hypothesi, quòd aliqua creatura existeret, & nullibi existeret, necessariò sequitur; Deum & fore intimè præfentem per suam substantiam tali creaturæ; quia nullum ens potest existere, cui Deus ratione sue immensitatis non sit per suam substantiam intimè præfens; & non fore; quia aliter, quàm in aliquo spatio locali, nulli alij enti potest esse Deus intimè præfens per suam substantiam ratione sue immensitatis. Sicut neque ratione sue æternitatis potest vili enti esse intimè præfens per suam substantiam aliter, quàm in aliquo tempore, iuxta ibi etiam dicta, & latius dicenda disput. 8.

Propositio 2.

Ex hypothesi, quòd creaturæ existentes nullibi essent, Deus per potentiam & esset in illis, & simul non esset.

Esset quidem; quia non posset non esse.

Ba 2 præ-

præfens illis actio, qua necessariò dependent à Deo titulo creaturarum; ibique Deus dicitur esse per potentiam, vbi præfens est eius actio, iuxta dicta supra quæst. 3. Non esset autem; quia Deus non potest quidpiam operari sine agere, nisi in aliqua parte integri spatij localis, in quo præfens est; eo quòd omnis actio eius necessariò debet ipsi esse præfens iuxta doctrinam supra statutam disput. 5. quæst. 13. atque etiam in hac disputat. quæst. 1. Nec mirum, quòd ex dicta hypothese duo sequantur contradictoria; cum sit impossibilis, vt dicebamus proposit. 1.

Propositio 3.

Ex hypothese, quòd creaturæ existentes nullibi essent, Deus per præsentiam & esset in illis, & simul non esset.

Quia esse Deum in creaturis per præsentiam iuxta communioem explicationem exhibitam, & amplexatam à nobis supra quæst. 3. præter intuitionem earum inuoluit etiam in suo conceptu reali præsentiam Dei in creaturis per suam substantiam. Ex dictis autem circa proposit. 1. constat, fore, vt Deus esset, & simul non esset præfens creaturis per suam substantiam ex hypothese, quòd illæ nullibi essent. Vnde consequenter efficitur, vt sequatur etiam ex eadem hypothese, fore Deum, & simul non fore in creaturis per præsentiam, vt nostra propositio fert. Ex quibus patet, in quo defecerint, quod attinet ad quæstionem præsentem, Auctores citati.

QVAESTIO IX.

Verum Deus ratione sua immensitatis aliquo modo sit præfens tum negationibus rerum non existentium, tum earum veritatibus quiditatiuis.

180 **Q**uæstio hæc breuissimè, facillimèque resoluenta venit, suppositis dictis in præcedentibus, atque etiam dictis supra disput. 5. quæst. 9. & 10. Cum enim ex dictis in præcedentibus constet, Deum ratione suæ immensitatis in toto omnino spatio locali circumquaque infinitò, atque adeò in omnibus omnino locis imaginarijs esse præsentem. Et consequenter, non posse non esse eum præsentem intimè omnibus rebus in quibusuis partibus talis spatij, in quibusuisque subinde talium imaginariorum locorum existentibus. Eademque planè ratio sit de cæteris veritatibus seu posituis, seu negatiuis in ipsis partibus spatij, sine locis imaginarijs quoquo modo habentibus esse. Conficitur planè, Deum omnibus omnino veritatibus existentialibus negatiuis, & quiditatiuis absolutis; necnon conditionatis tam quiditatiuis, quam existentialibus intimè ratione suæ immensitatis esse præsentem, in ijs scilicet omnibus partibus spatij localis, in ijsque subinde omni-

bus locis imaginarijs, in quibus illæ aliquo modo præfentes sunt iuxta doctrinam stabilitam dictis quæst. 9. & 10. disput. 5. In quo amplius non oportet morari.

Vnum hic infero ex vniuersali doctrinà datà quæst. illa 10. Deum non solum quatenus existentem dici cum omni proprietate esse vbique, siue in omni spatio locali: sed etiam quiditatiuè conceptum cum præcisione ab existentia vbique siue in omni spatio locali posse dici esse. Tamen loquutio hæc minus propria sit iuxta dicta ibi de præfentia vbique veritatum quiditatiuarum rerum non existentium, aut etiam ab existentia præfendentium.

DISPVATIO VII.

De Immurabilitate Dei.

Merito disputationem hæc præcedenti annectimus; quia præcipua pars, & magis stricta immurabilitatis Diuinæ in impotentia mutandi locum ipsius immensitati annexa posita est.

QVÆSTIO I.

Verum Deus sit omnino immutabilis.

Suppono primò, immutabile dici id, quòd mutari impotens est. Sicut mutabile è contra id, quòd mutari est potens. Vt enim mutabilitas, qua dicitur subiectum aliquod mutabile, potentia est talis subiecti ad mutationem ipsius passiuam, (hoc est per verbum passiuum, significabilem), qua, dum adest, mutari dicitur; ita è contra immutabilitas, qua dicitur subiectum aliquod immutabile, impotentia est eiusdem ad hoc, vt passiuè mutetur. Vnde, quot sunt excogitabiles mutationes passiuæ alicui subiecto impossibiles, tot sunt immutabilitates in ipso excogitabiles, tot ve modis ipsum potest immutabile excogitari.

Suppono secundò ex dictis supra disput. 5. quæst. 5. omnes excogitabiles mutationes passiuas (hoc est per verbum passiuum significabiles) ad duo capita reuocari; nempe ad mutationem propriè dictam, qua subiectum existens per eam mutabile transit successu temporis ab vno extremo à se distincto ad aliud etiam à se distinctum, idque vel acquirendo, vel amittendo aut aliquid in se receptum, aut aliquid completium sui; & ad mutationem minus propriam, qua subiectum etiam successu temporis transit à non existente ad existens, vel vice versà, prout latius loco citato explicatum est. Recognoscantur scripta ibi. Vnde patet, illud subiectum venire dicendum immutabile omnino, quòd nullà ex dictis mutationibus mutabile est.

Propositio I.

3. De fide est, Deum omnino esse immutabilem.

Primò enim, Deum esse immutabilem secundum substantiam, mutatione scilicet minus propria faciente transire subiectum de non esse ad esse, aut è conuerso, constat ex illo Psal. 101. *Sicut operatorum mutabis eos, & mutabuntur. Tu autem idem ipse es, & anni tui non descient.* Ut docet August. lib. de naturâ boni contra Manichæos cap. 24. necnon ex omnibus scripturæ locis, quibus Deus sæpe asseritur aut immortalis, aut semper, & in æternum permanens, aut etiam ab æterno existens. Constat item ex eo, quòd Deus per essentiam, atque adeò incommutabiliter est iuxta illud Exod. 3. *Ego sum, qui sum.* Vnde ex hoc loco colligunt Patres, Deum diuinam immutabilitatem habere. August. enim lib. de naturâ boni aduersus Manichæos cap. 19. ait: *Verè enim ipse est: quia incommutabilis est, & sermo, de rubo Moyf. qui est 17. de diuersis. Ergo incommutabilis Dei isto vocabulo se dignata est intimare; Ego sum, qui sum.* Smiliaque habet lib. 5. de Trinit. cap. 2. & lib. 2. de moribus Manichæorum cap. 1. Et Anselm. in Prologo. cap. 22. *Tu solus, inquit, Domine es, quod es, & tu es, qui es: nam in quo aliquid est mutabile, non omnino est, quod est. & mox. Tu verò es, quod es: quia, quidquid aliquando, aut aliquo modo es, hoc totus, & semper es.* Pariterque ad rem loquuntur Eusebius lib. 11. de præparat. Euang. cap. 6. Fulgent. de fide ad Petrum cap. 7. Isidor. lib. 7. Etymol. cap. 1. & Gregor. homil. 2. in Ezechielem circa finem.

4. Secundò, Deum esse immutabilem secundum accidentia intrinseca, mutatione videlicet propria commemoratâ, specialiter videtur constare ex illo Numer. 25. *Non est Deus, quasi homo, ut mentiatur; nec, ut filius hominis, ut mutetur.* Ex illoque Iacob. 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Docentque vnanimiter Patres. Hilarius enarrat. in Psal. 2. dicens, *Beata illa, perfecta, æternaque virtutis bonitas non patitur conuersionem, nec demutatur ex alio in aliud motu accidentis.* August. lib. 5. de Trinit. cap. 2. *Aliæ essentia, vel substantiæ accipiunt accidentia, quibus in eis fiat vel magna, vel quantacunque mutatio. Deo autem aliquid huiusmodi accidere non potest: & ideo sola substantia, vel essentia, que est Deus, incommutabilis est.* Origen. homil. 23. in Num. ante medium. *Aliena porro est diuina natura ab omni passionis, & permutationis affectu.* Similia habent Anselm. in Monolog. cap. 24. Hugo Victorin. lib. 7. eruditionis Didalcalicæ cap. 20. & alij.

5. Tertiò vtraque dicta, atque adeò omnimoda immutabilitas Dei constat ex illo Malachiæ 3. *Ego enim Dominus, & non mutor.* Fortasseque etiam ex alijs commemoratis scripturæ locis. Et definitur in Concilio Lateran. sub Leone III. prout habetur in cap. *Firmiter de summâ Trinitate, & fide catholica; ibi, Vnus solus est verus Deus æternus, immensus, & incommutabilis.* Traduntque vniformiter Patres. Pulchrè Dionys. cap. 9. de diuinis nominibus, *Idem supersubstantialiter æternum est, inueterabile, in se ipso manens, semper secundum eadem, & eodem se habens modo, omnibus eodem modo præsens, ipsumque secundum se ipsum in se ipso firmiter, & intemeratè in pul-*

cherrimis excellentis identitatis finibus collocatum, immutabile, casui minime obnoxium, forte, & constans, inuariabile, impermixtum, immateriale, simplicissimum, nullius egens, quod augeri, minuique non possit. Et Nylenus lib. de oratione versus finem, *Qui ad omnem mutationem firmus, & immobilis est. Qui non potest reperire melius, in quod transeat.* August. lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 10. *Iam verò aliquid substantiæ, atque nature (scilicet Diuinæ) commutationem, vel conuersionem aliquo modo pati posse, si quis opinetur, miræ dementia, impietatisque damnabitur.* & epist. 102. *Illud in his maxime cauendum est, ne cuiquam Dei natura commutabilis, & conuertibilis esse credatur.* & infra, *Summa, & ineffabilis Trinitatis inuisibilem, incommutabilemque naturam ab omni conuertibilitate, siue in melius, siue in deterius, siue in quodlibet aliud, atque aliud remotam, atque discretam, vel sine illâ dubitatione credamus, vel qualicumque etiam intelligentiâ capiamus.* Similia habet lib. 3. contra Maxim. cap. 12. Anastasius Synaita lib. 4. de rectis fidei catholicæ dogmatibus, *Omnium conuersione, & mutabilitate diuina natura est superior.* Theodoret. dialog. 2. qui dicitur Inconfusus ex Ambrosio in expositione fidei. *Quia Christus secundum beatam diuinæ substantiam est perpetuò inconuertibilis, immutabilis, imparibilis, immortalis.* Origen. lib. 1. Periarch. cap. 2. *Sapientia Dei, que est unigenitus Filius eius; quoniam in omnibus inconuertibilis est, & incommutabilis, & substantiale in eo omne bonum est, quod vtiq; mutari, atque conuerti nunquam potest.* Chryost. homil. 10. in cap. 1. Ioan. *Longè enim ab immortalis illâ naturâ est transmutatio.* Denique Synodus Alexandrina in Epistola ad Nestorium, quæ habetur tom. 1. Actuum Concilij Ephesini cap. 14. ait. *Est enim Deus immutabilis, nullique alterationi obnoxius, semper idem, suique similis, ut scriptum est, manens.*

6. Quibus obiter manet reiectum deliramentum quorundam hæreticorum. Qui, teste Cyrillo Alex. lib. de rectâ fide ad Theodosium, dixerunt, diuinam naturam Verbi in terrenum corpus Christi conuersam fuisse. Simileque aliorum commentum. Qui apud S. Tho. 3. par. quæst. 2. artic. 1. in mysterio incarnationis fingebant transmutationem non naturæ diuinæ in humanam; sed ambarum in quamdam tertiam. De quibus erroribus agitur in tract. de Incarnatione.

7. Eandem catholicam veritatem agnouerunt Philosophi ethnici. Nam Philolaus apud Philonem in lib. de Mundi opificio Deum appellat *unum semper existentem, immotum, &c.* Plato lib. 2. de repub. citatus ab Eusebio lib. 13. de Præparat. Euang. cap. 3. statuendam ait legem, esse, *Ne cui liceat, mutabilem aliquo modo Deum appellare.* Aristot. lib. 1. de Cælo text. 100. ait. *Diuinum ipsum intransmutabile esse, necesse est, omne primum, ac maximè summum.* & text. 113. dicit, *Quod non habet principium, impossibile est mutari.* Idemque docet in Metaph. varijs in locis. Adeòque inconfessò fuit apud præfatos illos sapientes, naturam diuinam debere immutabilem esse, vt Euripides apud Euseb. lib. 14. de Præparat. Euang. cap. 6. & Lucretius lib. 5. de naturâ eam Atheismi causam obtenderint, quòd Deus, si esset, mutabilis esset contra conceptum, & essentiam Deitatis. Quasi potius, Deum esse, quam Deum esse immutabilem, negandum sit.

Pro-

Propositio 2.

8 Ratione etiam naturali demonstratur, Deum omnino esse immutabilem.

Sex sunt attributa, seu perfectiones, seu predicata Dei, ex quibus à diuersis Theologis inferitur Dei immutabilitas; prout videre est apud Gillium lib. 2. de Deo tract. 8. cap. 3. & 4. & apud Fasolum 1. par. quæst. 9. artic. 1. dubit. 1. & 2. Alij enim, vt Aegid. Durand. & Bassol. inferunt illam ex predicato entis à se. Alij, vt Bassol. Ricard. S. Tho. Bonau. Caiet. Syluest. ex predicato actus puri. Alij, vt Bassol. Ricard. S. Thom. Bonau. Altisiodor. Scot. Caiet. Palat. Cisterciens. nonnullique Patres ex predicato simplicitatis. Alij, vt Ricard. Durand. ex predicato summa perfectionis. Alij, vt Bassol. Gabr. Ocham. Mayron. ex predicato infinitatis. Alij, vt Bassol. Gabr. Ocham. Aliacens. Cistercen. Adam. Scot. Nouo Castro. ex predicato necessitatis. Quos omnes Gillius, & Fasolus citant, & eorum illationes sigillatim examinant. In quo proinde ego immorari nolo. Nam, quid de illis sentiam, ex probatione, quam iam exhibeo, propositionis data conflabit.

9 Primum enim, quod Deus sit immutabilis secundum substantiam, mutatione scilicet minus propria faciente transire subiectum de non esse ad esse, aut è conuerso, euidenter inferitur ex eo, quod sit necessario æternus à parte ante, & à parte post. Hoc enim ipso, quod Deus necessario semper existit, impossibile semper fuit eum à non existente ad existentem, atque adeò à non esse ad esse transire. Et hoc ipso, quod necessario semper existit, impossibile semper erit, transire eum de existente ad non existentem, siue de esse ad non esse, vt est manifestum. Quod est, eum esse immutabilem immutabilitate predicta. Quam quidem illationem esse immediatam, & à priori, atque adeò eiusmodi immutabilitatem ex necessaria æternitate tanquam ex altera proprietate Dei immediatè anteriori, loquendo metaphysicè, inferri, ex ipsis terminis est satis notum. Quomodo autem æternitas necessaria Dei ex predicato eius essendi à se etiam euidenter sequatur, ex dicendis disput. 9. conspicuum fiet.

10 Deinde, quod Deus immutabilis sit secundum intrinseca accidentia, mutatione videlicet propria supra commemorata, ex diuersis alijs Dei predicatis venit immediatè, cum euidentiaque inferendum, atque adeò demonstrandum, penes diuersas immutabilitates specialiores, quas immutabilitas secundum intrinseca accidentia (eaque seu predicamentalia, seu predicabilia) sumpta vniuersè comprehendit. Etenim, esse Deum immutabilem per acquisitionem alicuius complementi substantiæ suæ, ex quo videlicet, & ex præhabita substantiæ mediæ aliquâ vnione, Deus magis completus in suo esse, vel magis integer, vel maior euaderet; (vti per accretionem nutritiuam, augmentatiuamque euadunt viuentia creata), ex ipsius Dei necessariâ simplicitate, infra disput. 11. demonstrandâ sequitur euidenter. Quemadmodum, & esse Deum immutabilem per deperditionem, vel amissionem alicuius partis sui, qua in suo esse minueretur, vel decresceret, vel minor fieret, quam antea erat; (vti viuentia creata per sui tum substantialem, tum quantitatiuam decretionem solent decrescere). Si enim Deus priori modo mutari posset, eo ipso

posset post mutationem non simplex, sed compositus ex partibus esse. Si posteriori, non simplex ante mutationem, sed ex partibus compositus supponeretur. Quod vtrumque ipsius necessariâ simplicitati manifestè aduersatur. Ex ipsaque subinde simplicitate oppositæ immutabilitates sequuntur. Idque immediatè, & à priori, vt ex terminis patet. Vnde August. lib. 6. de Trinit. cap. 6. & lib. 11. de ciuitate cap. 10. & Auctor libri de essentia diuinitatis apud August. in principio, Scholasticique colligentes ex simplicitate Dei immutabilitatem ipsius de immutabilitate duas predictas complectente veniunt intelligendi.

Esse verò Deum immutabilem per vnionem ad aliud quiddam, ex quo, & ex entitate diuinâ tanquam ex partibus quoquomodo incompletis naturâ suâ tertium quoddam compositum resularet; (qua ratione materia prima præcisè per vnionem ad formam mutabilis est, & vna pars integralis entis compositi per vnionem ad alteram iuxta dicta latius supra disput. 5. quæst. 5.), aut sequitur etiam immediatè ex diuinâ simplicitate, quatenus hæc vetat, ne Deus vt quid partiale, & incompletum veniat in compositionem, cum alio quopiam; si tamen id vetat simplicitas; aut, si id non vetat iuxta dicenda à nobis infra, disput. 11. vnice, & immediatè sequitur ex predicato actus purissimi, à quo habet Deus per nihil aliud à se distinctum perfectibile esse iuxta dicta disput. 1. quæst. 12. Si namque Deus isto genere mutationis mutabilis esset, non posset non esse perfectibilis per aliquod à se distinctum contra dictum predicatum actus purissimi: quandoquidem omnis pars ordinata naturâ suâ ad componendum simul cum alia aliquid totum, atque ita per se incompleta, eo ipso per vnionem ad aliam comparem perfectibilis est.

Esse autem Deum immutabilem per receptionem passiuam alicuius formæ, qua antea careret; aut per amissionem alicuius formæ, quam antea in se receptam haberet; (cuiuscunque demum rationis excogitetur talis forma, seu substantialis, seu accidentalis, seu perfectiua, seu deterioratiua, seu neuralis), ex predicato item actus purissimi omnis passiuæ potentialitatis expertis, quod Deus necessario habet iuxta dicta disput. 1. quæst. 12. citatâ, sequitur etiam euidenter. Idque immediatè, & à priori, vt satis ex se apparet. Quia eo ipso, quod Deus impotens necessario est ad recipiendum in se quamlibet formam, consequenter euadit impotens ad transeundum vel à non receptione ad receptionem, vel à receptione ad non receptionem cuiuslibet formæ. Quod ipsum est, esse eum immutabilem immutabilitatibus dictis. Sub quas certè cadit immutabilitas Dei localis casu, quod mutatio, cui ea repugnat, in receptione præsentia localis antea non habitæ, aut in amissione antea receptæ, aut in vtrâque supponatur consistere. Quo casu, & sensu immutabilitas Dei localis vnâ cum alijs, sub quas cadit, ex predicato actus purissimi Deo ipsi conueniente inferitur, vt constat.

Sumpta verò immutabilitas Dei localis pro impotentiâ mutandi locum, seu spatium locale; (præsciendâ ab eo, quod hæc mutatio in receptione nouæ præsentia super addita, vel amissione antea receptæ, aut in alio quopiam consistat), ex immanentia Dei demonstratâ disput. præced. venit cum euidentia inferenda immediatè pariter illatione. Ex eo enim, quod Deus est imensus, atque adeò necessario existens in omni omni-

omnino spatio locali, manifestè sequitur immediatè, Deum localiter mutari non posse, aut deserendo spatium antiquum, aut acquirendo nouum.

14 Ex quibus omnibus est colligendum, quid verum habeant, aut non habeant Theologorum sententiæ num. 8. indicatæ. Inferitur enim ex dictis primò, loquendo metaphysicè, vt loquimur impræsentiarum, diuersas esse Dei immutabilitates ex diuersis ipsius prædicatis immediatè sequutas pèns diuersas mutationes, quæ repugnant Deo. Ex quibus immutabilitatibus vnum diuinæ immutabilitatis attributum coalescit. Secundo inferitur, nullam eiusmodi immutabilitatem sequi immediatè ex prædicato entis à se; tamen omnes ex illo sequuntur mediatè, quatenus ex prædicato entis à se alia sequuntur prædicata illas immediatè inferentia, prout exposuimus. Tertiò inferitur, ex prædicato summæ perfectionis mediatè solum sequi eas immutabilitates, quas infert prædicatum actus purissimi ex illo immediatè sequutum iuxta dicta de huius conceptu disput. 1. quæst. 12. Quarto inferitur, ex prædicatis infinitatis, & necessitatis præcisè sumptis nullam Dei sequi immutabilitatem; bene tamen ex eis prout modificantibus alia prædicata. Nempe ex duratione necessariâ, & vtriusque infinitâ Dei inferitur ipsius immutabilitas quoad totam suam substantiam iuxta dicta num. 9. Et ex prædicatis necessarijs, aut etiam infinitis suo modo simplicitatis, & actus purissimi alia immutabilitates inferuntur iuxta dicta num. 11. & 12. Ac demum ex prædicato immensitatis, siue vbiuitatis necessariæ, & infinitæ circumquaque immutabilitas localis, prout dictum num. 13.

15 Vtrum autem Deus quoad actus suos liberos, siue contingentes intellectus, & voluntatis ita sit immutabilis, vt nullum eorum possit acquirere, vel amittere in tempore. Et vtrum eorum immutabilitas ad aliquam ex prædictis pertineat, vel aliam quamdam speciem immutabilitatis constituat, ex aliquo alio Dei prædicato ab omnibus prædictis diuerso immediatè oriundam, inferius determinandum, & explicandum est in tract. de Scient. & Volunt. Dei.

16 Sequitur iam, vt argumenta diluamus, quæ contra veritatem catholicam proposuit. 1. & 2. statutam, & demonstratam opponi solent. Sit primum. Sapient. 7. dicitur de diuinâ sapientiâ à Deo indistinctâ. *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia.* Igitur Deus mobilis, atque adeo mutabilis est. Respondeo cum S. Th. 1. par. quæst. 9. art. 1. & D. Dionysio ab eo citato, sapientiam diuinam similitudinariè, seu metaphoricè dici mobilem, quatenus, dum omnia causat tum effectiue, tum exemplariter, omnia peruadere, à summisque ad infima, à præsentibusque ad futura procedere, quodammodoque subinde moueri videtur. Cum tamen cætera potius, quæ causat, moueat, quam in se moueatur.

17 Secundo obijcitur. Filius Dei de facto incarnatus est, vnitusque humanitati Christi Domini mediâ vnione hypostaticâ. Ergo de facto est mutatus. Nego consequentiam. Quia Filius Dei per Incarnationem non est alteratus intrinsecè, prout opus erat, vt mutaretur, iuxta definitionem mutationis expositam supra disput. 5. quæst. 5. quæ ad rem recognoscenda est.

18 Tertiò obijcitur. Deus de facto creauit Mundum, transiitque de non producente Mun-

dum ad producentem. Habuitque volitionem, & scientiam de Mundo existente, quam non haberet, si illum non creasset. Ergo de facto mutatus est. Nego consequentiam. Quia per actionem creatiuam Mundi non est Deus alteratus intrinsecè, prout ad eius mutationem requirebatur; vt constat etiam ex doctrinâ de mutatione dicta quæst. 5. disput. 5. traditâ, quæ ad rem item videnda. Per volitionem autem, & scientiam de Mundo existente, quam Deus liberè habuit ab æterno, vel eo ipso, quod illam habuit ab æterno, non potuit mutari, vt constat etiam ex definitione mutationis dato loco citato. De quo tamen plura dicenda sunt inferius tract. de Scient. & Volunt. Dei.

QVAESTIO II.

Verum immutabilitas speciale sit attributum Dei ab alijs diuersum. Et qualiter.

Aureolus apud Recupitum lib. 5. de Deo 19 quæst. 22. censet immutabilitatem Dei nullatenus ab eius necessitate in essendo distinguui. Alij vero Theologi communiter tum à necessitate in essendo, tum à cæteris attributis illam distinctam ponunt, qua ratione scilicet attributa sunt distincta inter se iuxta doctrinam generalem de distinctione eorum traditam supra disput. 2.

Propositio I.

Immutabilitas attributum est Dei à cæteris alijs aliter nuncupatis diuersum.

Consistit enim formaliter in impotentia Dei ad sui mutationem, in qua nullum cæterorum consistit formaliter. Vt discurrenti per singula notum fiet.

Arguitur tamen pro sententiâ Aureoli sic. 21 Per immutabilitatem formaliter Deus habet, vt non possit mutari ex *esse* in non *esse*. Sed idem formaliter habet per necessitatem, per quam etiam habet, vt non possit non *esse*. Ergo idem sunt formaliter necessitas essendi, & immutabilitas. Respondeo primò, estò immutabilitas, à qua Deus habet non posse transire ex *esse* in non *esse*, quæ pars quædam est attributi immutabilitatis iuxta dicta quæst. 1. non esset in Deo distincta formaliter ab eius necessitate essendi, adhuc attributum ipsum immutabilitatis ab ipsa necessitate essendi distinguendum fore formaliter tanquam includens ab incluso; utpote quod plures alias immutabilitates sub se complectitur ab ipsa necessitate essendi manifestè distinctas formaliter, vt ex dictis quæst. 1. liquidum est. Respondeo secundo, necessitatem essendi in connexionem cum actu essendi consistere formaliter, non verò in impotentia ad non essendum, tamen eam inferat; vt supra disput. 3. ex dictis in Pharo Scient. disput. II. statutum est. Atque ita, licet immutabilitas Dei aliud non esset formaliter ab impotentia ad non essendum, adhuc ab illâ necessitas essendi distingueretur formaliter. Respondeo tertio, dato etiam, quod necesse-

necessitas essendi esset formaliter impotentia ad non essendum, & quod attributum immutabilitatis aliud non importaret, præter impotentiam transeundi de esse ad non esse, adhuc fore tale attributum distinctum formaliter à tali necessitate, qua ratione impotentia ad transeundum de esse ad non esse distinguitur ab impotentia ad non essendum præcisè; cum illa impotentia ad quandam mutationem sit; hæc verò non item, ut patet. Ex quibus omnibus apparet, quam debile sit argumentum propositum pro sententiâ Aureoli. Confirmationem autem eius, quam addit Recupitus, facile poterit unusquisque diluere pariter ex dictis.

Propositio 2.

82 **Attributum immutabilitatis diuinæ ab omnibus Dei attributis positivis distinguitur, quatenus negatiuum est; à cæteris autem negatiuis quatenus negationem importat, quam nullum aliud.**

Consistit enim, ut ex se patet in impotentia, quam Deus habet, ad sui mutationem; negationemque subinde importat in suo conceptu formali, atque ita ex attributis est negatiuis iuxta dicta latius de his supra disput. 2. Quæ negatio, cum sit potentia ad mutationem in nullo alio ex attributis negatiuis reperta, ut est manifestum, & illud specialiter constituit, & à cæteris omnibus per negationes alias constitutis distinguit.

QVAESTIO III.

Verum, esse omnino immutabilem, sit proprium Dei.

Propositio 1.

83 **Esse omnino immutabilem, ita est proprium Dei, ut nulli possit creaturæ conuenire absolutè.**

Certissima est hæc propositio apud omnes Patres, & Scholasticos, Colligitur enim planè ex Scripturæ locis quæst. 1. proposit. 1. commemoratis, iunctâ Patrum intelligentiâ ibi etiam subiunctâ, quatenus in eis ut quid proprium Dei tribuitur ipsi immutabilitas, quibus addit illud 1. ad Timot. 6. *Qui solus habet immortalitatem*. Et consequenter eam immutabilitatem, quæ vetat transitum de esse ad non esse. Solusque proinde habet immutabilitatem omnimodam. Accedunt Patres id ipsum expressè contestantes. Cyrill. enim Alexand. lib. de rectâ fide ad Theodos. non longè à principio ait, *Quæ admodum Deus non potest fieri mutabilis: ita neque creatura potest fieri immutabilis*. Nyssen. lib. 1. de hominis officio cap. 16. post medium, *Est enim planè apud omnes inconfessò, naturam increatam immutabilem; eandemque semper esse: creatam sine perpetuâ vicissitudine consistere nullo modo posse; nam ipse transiens ex nihilo ad ortum motus quidam est, & mutatio*. August. lib. 12. de Ciuit. cap. 1. *Dicimus immutabile bonum non esse, nisi unum*

verum Deum beatum. Ea verò, quæ fecit, bona quidem esse, quòd ab illo, verumtamen mutabilia, quòd non de illo, sed de nihilo facta sunt. Et Fulgent. de fide ad Petrum cap. 7. *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, solum Deum incommutabilem esse*. Similiaque habent Ambros. lib. 3. de fide ad Gratianum cap. 2. ante finem. August. lib. 1. de Trinit. cap. 1. lib. 3. contra Maximum cap. 12. lib. de cognitione veræ vitæ cap. 31. lib. 11. de Ciuit. cap. 10. & tract. 23. in Ioan. post medium. Isidor. lib. 7. etymol. cap. 1. Gregor. lib. 12. Moral. cap. 17. in id Iob. 15. *Ecce inter Sanctos nemo immutabilis*, & lib. 25. cap. 4. in id Iob. 34. *Non sunt tenebra*. Tertull. lib. 2. aduersus Marcionem cap. 16. Athanas. de passione, & cruce Domini initio. Didymus lib. 1. de Spiritu sancto non longè à principio. Sophronius oratione de Angelorum excellentiâ tom. 2. Biblioth. P. P. Theodoret. Dialogo dicto *Immutabilis*, Bernard. Serm. 81. in cantica, & alij.

Ratione autem demonstratur propositio 14 primò. Quia ut constat ex doctrinâ tradendâ disput. 8. quæst. 3. neque est possibilis vlla creatura, quam Deus semel produciam non possit corrumpere, neque est possibilis creatura, quam Deus non possit producere in aliqua temporis parte, antequam alia, imò & infinitæ partes præceferint. Igitur nulla est possibilis creatura, quæ non possit transire de esse ad non esse, atque etiam quæ non possit transire de non esse ad esse. Subindeque quæ non sit mutabilis secundum totam suam substantiam utroque isto genere mutationis, quo Deus immutabilis est. Nulla igitur est creatura possibilis, quæ sit omnino immutabilis, qualis est Deus. Adde, licet esset possibilis creatura, quæ ex suppositione, quòd esset à Deo producenda, necessario deberet ab aeterno produci, & in æternum conservari, immutabilisque subinde esset ex eadem suppositione à non esse ad esse, & ab esse ad non esse. Hanc tamen immutabilitatem non à se illam, & necessario, ut Deus habet, sed ab alio, & contingenter fore habituram. Quocirca adhuc non esset immutabilis, sicuti est Deus; subindeque attributum immutabilitatis diuinæ, qua ratione conuenit Deo, nullatenus esset ipsi commune, sed solius Dei proprium.

Secundò demonstratur propositio. Quia 15 nulla est creatura possibilis, quæ in se contineat eminenter omnem perfectionem excogitabilem, qualiter Deus continet, ut est notissimum: atque adeò quæ per aliquid sibi adiunctum non sit perfectibilis. Hoc namque secundum apertè sequitur ex illo primo. Ergo nulla est creatura possibilis, quæ non sit mutabilis à carentiâ perfectionis sibi adiungibilis ad perfectionem ipsam. Idque vel transiendo simpliciter à non esse ad esse, quando sine tali perfectione præexistere non potest, (ut non potest præexistere modus sine re, cuius modus est), vel transiendo tantum à carentiâ talis perfectionis in se præexistente ad ipsam perfectionem, quando potest absque tali perfectione præexistere; (ut præexistere potest quoduis subiectum absque accidente, aut complemento sibi contingente). Quòd genus mutationis cum non possit cadere in Deum, ut ex dictis in præcedentibus constat; conficitur, hoc etiam titulo nullam esse creaturam possibilem, quæ sit omnino immutabilis, uti Deus est.

Tertio,

26 Tertiò. Præter durationes superadditas, quas nos adstruimus iuxta dicenda disput. 8. & præter alias creaturas posibles suapte essentiâ affixas certis instantibus temporis, adeò, ut aliter, quam in illis, existere nequeant iuxta ibidem dicenda, ceteras omnes creaturas esse mutabiles à carentiâ alicuius accidentis in se præ-existentis ad ipsum accidens, & vice versâ, compertum est. Quia nulla est earum, quæ saltem non sit mutabilis à carentiâ durationis, quam habet in vno instanti, ad ipsam subsequentiem durationem, & à duratione, quam habet in vno instanti, ad ipsius subsequentiem carentiam, ut est notissimum. Vnde patet, præter creaturas affixas singulis instantibus temporis, quæ duobus modis prædictis num. 24. & 25. mutabiles sunt, ceteras omnes posibles hoc in supertertio modo mutabiles esse saltem secundum durationes, & earum carentias. Dico autem saltem: quia pleræque earum secundum alia itidem plura accidentia, & eorum carentias sunt mutabiles successu temporis, ut est notissimum. Cum tamen Deus nullo ex hisce tribus modis mutabilis sit, ut ex dictis in præcedentibus constat. Ex quibus omnibus concluditur, attributum omnimodæ immutabilitatis soli Deo proprium esse, nullique posse creaturam continere absolute, ut nostra propositio fert. Idque varijs ex titulis prædictis. Dico autem absolute: quia adhuc superest determinandum, an aliqua creatura possibilis ex suppositione alicuius decreti Dei aut aliquam ex immutabilitatibus commemoratis, aut eas omnes fortiri possit.

Propositio 2.

37 Ex suppositione alicuius decreti Dei bene ponit creatura aliqua euadere immutabilis secundum totam suam substantiam, ita, ut neque de non esse ad esse, neque de esse ad non esse transire possit.

Talis enim citra omne dubium euaderet creatura, quam Deus decreuisset producere ab æterno, & in æternam conservare, ex suppositione talis decreti. Quod autem Deus possit decreto suo in æternam conservare creaturam, certissimum est. Cum constet ex fide, ipsum de facto omnes rationales, & plures alias esse in æternam conservatum. Quod verò potuerit etiam produxisse creaturam ab æterno, ex dicendis à nobis infra disput. 13. contra aliquos opinantes oppositum fiet conspicuum. Quomodo autem creatura producta à Deo ab æterno nullo sensu adhuc improprio dici posset mutari quasi transiens à potentiâ logicâ existendi ad ipsam existentiam, supra disput. 5. quæst. 5. statuimus contra Gillium. Quod etiam est contra Recapitulum lib. 5. de Deo quæst. 23. num. 3. dicentem, creaturam produci ab æterno per talem productionem mutari: quia, licet non transeat ad esse ex non esse præsupposito secundum durationem; transit verò ex non esse præsupposito secundum debitum; eo quod neque habet ex se esse, neque illi debebatur esse ab alio. Non tamen bene. Quia talis creatura nullo modo dici potest transire de non esse ad esse ex eo, quod

illi deberetur ab æterno non esse. Hoc namque debitum in tali creaturâ dumtaxat potest inducere debitum, ut transeat, atque adeò mutetur de non esse ad esse, si fiat; non item transitum ipsum, seu mutationem.

Porro doctrina propositionis datæ solum 28 habet locum in creaturis, quæ indifferentes sunt ad existendum in quouis tempore. Quæ enim alicui temporis mensuræ sunt suapte essentiâ alligatæ, in alia non possunt existere adhuc diuinitus neque per se, ut supponitur, neque per durationem superadditam, ut apparebit ex dicendis disput. 8. quæst. 8. atque adeò neque ab æterno possunt à Deo produci, neque in æternam conservari. Proindeque neque prædictam immutabilitatem à non esse ad esse, aut ab esse ad non esse adhuc ex suppositione decreti Dei possunt fortiri.

Propositio 3.

29 Impossibile est, ut aliqua creatura ex indifferentibus ad existendum in quouis tempore adhuc ex suppositione decreti Dei euadat immutabilis simul secundum substantiam, & secundum accidens.

Quia ad hoc opus erat, ut Deus decreuisset eam ab æterno producere, & in æternam conservare instructam semper omnibus accidentibus intrinsicis ipsi possibilibus, quin posset vltimum eorum successu temporis amittere, aut vltimum aliud successu temporis acquirere. Hoc autem impossibile est. Quia saltem durationes superadditæ, quibus eiusmodi creatura per tempus utrimque infinitum duratura esset, neutiquam possent illi semper & simul inesse, sed necessario deberent in illa singulis instantibus variari iuxta doctrinam tradendam disput. 8. Atque ita non posset non talis creatura per acquisitionem, amissionemque talium durationum singulis instantibus secundum accidens mutari, quantumvis secundum substantiam semper ex diuino decreto maneret immutabilis.

Propositio 4.

30 Absolutè est impossibile, ut aliqua creatura ex alligatis suapte essentiâ mensuræ determinatæ temporis immutata secundum substantiam secundum accidens mutetur.

Quia ad hoc opus erat, ut ea perseverans tempore diuisibili in vno instanti haberet accidens, quo careret in subsequente, vel vice versâ. Hoc autem absolutè repugnat: quia absolutè repugnat, talem creaturam tempore diuisibili perseverare, ut apparebit ex dicendis disput. 8. quæst. 3. Vnde patet, creaturas huiusce generis absolutè esse immutabiles secundum accidens præcisè, ita, ut persistentes quoad substantiam ab vno accidente ad aliud transiant successu temporis.

Propositio 5.

31 Ex suppositione alicuius decreti Dei impossibile est, ut aliqua etiam creatura ex indifferentibus ad existendum in quouis tempore immutata secundum substantiam secundum accidens mutetur.

Quia si Deus decernat, ut talis creatura per vnicum tantum instans duret, ex suppositione talis decreti impossibile erit, ut illa perseverans tempore diuisibili ab vno extremo sibi accidente ad aliud etiam sibi accidens transeat successu temporis; atque adeo, ut immutata secundum substantiam, secundum accidens mutetur, ut est notissimum.

Propositio 6.

32 Omnes negationes chymararum impossibilium quoad suas veritates negatiuas absolute sunt omnino immutabiles.

Supponit propositio, dari veras negationes chymararum impossibilium, earum scilicet, quae in se veram quiditatem habent intra statum quiditatum iuxta dicta in Pharo Scient. disput. 11. Quae negationes, licet sint nihil habens aliquam quiditatem re ipsa in se cognoscibilem positiue, tamen a nobis adinstar entium positiuorum concipiuntur; eatenus tamen verae esse, veritatemque negatiuam, eamque existentialem habere dicuntur re ipsa; quatenus verum re ipsa est, non existere chymaras, quae negantur, siue remouentur per ipsas, iuxta doctrinam vniuersalem de negationibus traditam in Pharo Scient. disput. 9. quaest. 3. & saepe alias repetitam tum in eo opere, tum in praesenti.

33 Igitur eiusmodi negationes quoad suas veritates negatiuas absolute esse omnino immutabiles, inde plane constat, Quia a suo quali quali esse ad non esse, vel vice versa transire non possunt; eo quod ab aeterno, & in aeternum habent illud iuxta dicenda disput. 8. quaest. 7. & prorsus necessario habent hoc ipso, quod prorsus sunt impossibiles chymarae, quas excludunt. Quo iure secundum substantiam suo modo sunt immutabiles. Secundum accidens vero intrinsecum, atque adeo omnino; eo quod solum censei possunt accidentia intrinseca earum carentiae accidentium intrinsecorum chymararum, quas remouent; & tales carentiae aequae aeternaliter, & necessario conueniunt illis, ac suum quale quale esse, ut constat. Quo mutationi ipsarum secundum accidens locus etiam praeccluditur.

34 Inferet aliquis. Ergo esse omnino immutabilem non est proprium Dei contra doctrinam certam statutam proposit. 1. Nego absolute consequentiam. Quia doctrina certa statuta proposit. 1. dumtaxat agit de omnimoda immutabilitate positiua, quae perfectionem magnam praesert, nullique enti praeterquam vni Deo, potest vllatenus conuenire. Quidquid sit de immutabilitate negatiua praedictis negationibus conueniente, quae nullam dicit perfectionem; cum in defectu mero perfectionis, subindeque in quadam mera imperfectione consistat, quae sane eo maior est, quo magis necessaria.

Propositio 7.

35 Ex suppositione determinationis diuinae de non producendis vlllo in tempore creaturis pure possibilibus earum negationes immutabiles prorsus sunt.

Quia tales negationes, qua ratione sunt, ab aeterno, & in aeternum, atque adeo in omni omnino tempore sunt iuxta dicenda etiam disput. 8. quaest. 7. Proindeque a suo quali quali esse ad non esse, vel vice versa transire non possunt successu temporis, neque vllum accidens sibi intrinsecum acquirere, aut amittere iuxta dicta proposit. 6. de negationibus chymararum. Quod est illas ex suppositione facta prorsus esse immutabiles, ut ex dictis in praecedentibus satis est notum.

Propositio 8.

36 Negationes creaturarum aliquando existentium mutabiles sunt, mutationemque de facto subeunt quoad substantiam, aut etiam quoad aliqua accidentia intrinseca sibi suo modo.

Quia tales negationes, qua ratione dici possunt existere, in toto eo tempore existunt, in quo non existunt res, quas excludunt. Ut constabit ex dicendis disput. 8. quaest. 7. ab aeternoque proinde extiterunt; quandoquidem ab aeterno nulla extitit creatura, prout constat ex fide. Atque ita ut minimum transferunt semel de suo quali quali esse ad non esse, quando productae fuerunt creaturae, quas eo vsque excluderant; aut etiam ab aliquibus accidentibus negatiuis intrinsecis sibi, quales censentur carentiae accidentium intrinsecorum prout talium creaturarum, quarum illae sunt negationes, iuxta doctrinam indicatam proposit. 6. Quod ipsum est, tales negationes suo modo secundum substantiam, aut etiam secundum aliqua accidentia intrinseca semel saltem de facto mutatas esse. Quando autem creatura semel productae postea corrumpuntur, & desinunt esse, aliam earum negationes subire mutationem de non esse ad esse secundum substantiam, aut etiam secundum aliqua accidentia intrinseca sibi, compertum est.

Propositio 9.

37 Omnia entia tam impossibilia quam possibilis quoad suam quiditatem, & metaphysicas passiones, aut etiam quoad durationes suas quiditatiue sumptas omnino immutabilia sunt intra statum quiditatum.

Quia cuncta haec prout in statu quiditatum omni omnino tempore a parte ante, & a parte post infinito correspondent, in eoque subinde suo quiditatum modo sunt successiue cum metaphysica necessitate, ut apparebit ex dicendis disput. 8. quaest. 8. nullatenusque propterea successu temporis transire possunt a suo esse quiditatum ad non esse, vel vice versa; atque adeo neque vlllo modo prout in tali statu, siue intra talem statum mutari.

Inferet aliquis. Ergo omnimoda immutabilitas positiua non est propria Dei contra doctrinam

nam certam statutam proposuit. 1. Nego absolute consequentiam. Quia doctrina certa statuta proposuit. dumtaxat agit de omnimoda immutabilitate positivam spectante ad statum existentialem, quæ sola proprie, & absolute loquendo venit dicenda immutabilitas propria, & rigoroze mutationi ad statum etiam existentialem pertinenti opposita, Non item de immutabilitate positivam propria spectante præcise ad statum entium qui-

ditatum. Quæ sanè omnibus entibus etiam impossibilibus veram in se, & ex suo conceptu obiectivo quiditatem habentibus communis est. Quamquam & quoad istam quoque immutabilitatem quiditativam Deus cætera cuncta entia infinite excedat, quatenus ea in Deo infinite magis necessaria, quam in cæteris entibus est, iuxta doctrinam stabilitam disput. 3. atque adeo etiam in genere suo infinite magis perfecta,